Platinus ubi sit Vænalis.

Non ut emas: & si paruo mercabere: Sed quo
Certus eas emptum: me tibi præsto ducen
In medio prope rostra foro: mensasq; sonante
Me Conagus habet bibliopola probus.

Idem
Lilia cum sancta sum dignus ferre corona
Regius: illa simul Pax amat: arma timent.





135 C. Gazzera

Iacobus Antiquarius Platino suo.S.

Non elegi:non sunt epigrammata docte Platine
Quæ scribis:gemmas chrysolitosq; puto.

Ioannes Placentinus Platino suo.S.

Si tibi promissam det opem Triuulcius heros:
Tu fueris fœlix:ille peremnis erit.
Amittetq; notam diues tua laurea primam:
Et dabitur libro palma Platine tuo.

Platinus Ioanni Placentino sacer
doti doctissimo.S.

Non erit ablato mea laurea grammate primo
Aurea:daphneam mi satis esse foret.
Principis est seruare fidem:gaudebimus una
Si quod ait crebro:fecerit ille semel.

Loquitur musa.

A Duce Francisco mihi fama dabatur & aurum:
Principibus natis exul inopsq; fui.
Nunc me Francorum sub Rege potentis amici
Insubrium primi spes alit:& cruciat.

Ad Serenissimum:& Christianissimum Francoꝝ
Regem Carolum inuictissimum Platini Plati
Patricii Mediolanensis restituti Epigramma
ton:Elegiarumq; Liber Primus.

Qui cecini quondã dominos proceresq; latinos:
Dum sequerer famam:consequererq; famem.
Ecce meum Regi Francorum dono libellum:
Vnde laboris erunt emolumenta mihi.
Et meliora canam de Rege poemata grato:
Vt curata probe pica salutat herum.
Iam mihi uiuentes inter florere poetas:
Et uideor nullo tempore posse mori.
Qđ meus hic liber est tibi Regũ prime dicatus
Carole:subq; tuo nomine tutus erit.
Militis:& uatis breue Rex immense uolumen
Accipe:iuris erunt auctor opusq; tui.
Stat tua maiestas in prima parte libelli.
Hic mea res italas libat auena tuas.
Cætera collegi uariarum carmina rerum:
Vt faciant libros hæc quoq; nostra duos.
Carmine sit quali scriptus:si forte requiris:
Hic sulmonizat:bilbilitatq; liber.

Ad librum suum.

Ne scombris tunicam dares libelle

Cordylis ue togam tuus magister
Efficit titulo:modo legatur:
O tecnam similem dolis Vlyxis.

Ad enndem Regem

Cur inculta malus scribam tibi carmina uates
Disce Maronea Rex memorande lyra.
Mos erat antiquis aliquam condentibus urbem
Principia in summos ipsa referre deos.
Roma sibi Martem:Iunonem uendicat argos:
Cecropidæ iactant pallade:creta Iouem:
Si licet exemplis igitur cælestibus uti:
Rebus & in paruis inclyta facta sequi:
Illustrare tuo licuit mihi nomine librum:
Quem titulo gentes alliciente legant.

Ominatur uictoriam Regi Carolo de uniuersis eius hostibus.

Qui sub Rege meret gentili uirginis almæ:
Ex illa genito militat ille deo.
Ex alia stat parte Sathan:sæuiq; tyramni:
Iusticiæ fœlix exitus esse solet.
Iam scio quis uincet:terræ superabit alumnos
Cæli progenies ab Ioue missus homo.

Ad eundem Regem.

Corpore paruus erat Macedo:cognomīe magnus:
Aetatisq; tuæ iam tremor orbis erat.
Largitorq; fuit largissimus:& Ioue dignus:
Totus Alexandrum Carole magne refers.

Apollinis oraculum de eodem Rege

Carolus.Alphonsum bello petit:aduolat ille
Obuius:hi secum regna latina trahunt.
Terribiles ambo Reges:instarq; leonum
Ad certamen eunt:quis rogo uictor erit.
Consulitur Phoebus:uincet respōdit Apollo:
Qui meruit:regnum Carolus omne tulit.

Ad eundem Regem.

Quæ pius Aeneas:& q̄ sua mallet Achilles:
Carole fers animis arma minora tuis.

Ad Io.Iacobum Triulciū Imp.Regiū.

Sæpe tuum uirtus extollit bellica nomen:
Seu prope siue procul res Iacobe geris.
Duxeris ut Regem per tot discrimina saluum:
Incolumesq; suos inclyta fama canit.
Et celebrat cum laude noua fortissime ductor
Parta manu passim prisca decora tibi.
Magnus haberis apud Gallos pariterq; latinos
Dux belli:canitur nomen ubiq; tuum.

Ad eundem

Vt stabas acie prope Regem primus in ipsa
Sic eris in libro Dux Iacobe meo.
Te duce Thermophilas:Leutrā:Salamiaq; uicit
Regius ante forum transitus ille nouum.
Illam acrem pugnam Gallorum lingua loquetur
Omnis:& inde tibi gloria semper erit.

Ad eundem.

Proditor a Gallis olim quicunq; fuisset:
Nescio qua dictus fraude latinus erat:
Nunc Iacobe secus de nostra gente loquuntur:
Expertæ fidei cum meminere tuæ.
Et Rex:& Proceres:& regia castra salutem
Acceptam referunt:& simul arma tibi:
Insubresq; tuæ uirtuti plurima debent:
Qui ueterem per te deposuere notam.

Ad eundem

Vt duce conspecto redit in certamina miles
Acrior:ut celeres ære cientur equi:
Sic mea procedent epigrammata Rege secundo:
Tu facias ut sit Dux Iacobe:precor.

Ad eundem

Differo promissum Regi:non aufero carmen:
Ipsemet institui nuncius esse meus.
Si liber:& suus est auctor Regisq; tuiq;:
Nil refert ueniam serius :an citius.
Propter bella recens a Mauro principe factum
Edictum retinet nos Iacobe domi.
Vt canis horret aquam gelidã:quẽ feruida læsit:
Sic ego sum timidus casibus ante meis.
A triplici uultu potes esse Triulcius:ergo
Non temere cessat dic meus ille Cliens.

De tribus Iacobis belli Ducibus clarissimis

Tres adeo gallis Itali fulsere Iacobi:
Vt merita illorum Gallia tota colat.
Dux Piccininus:ciuisq; Neapolis alter
Ambo fuere:diu tertius esse potest:
Quem Mediolani Triuulcia rebus abundans
Edidit:atq; uiris clara potensq; domus.

Ad eundem Proregem.

Gallorum referens Italis Iacobe coronam:
Cum hoc homine ut mecũ non uereare loqui.
Nos ad natalem Christi migrabimus istuc:
Si non obstiterit:qui prohibere potest.

Ad eundem.

Ad Regem dabimus quem scis Iacobe libellum:
Audio te regi carius esse nihil
O patrone tibi tradam:si legeris omnem:
Inuenies titulos hic quoq; sæpe tuos.

De Marte Iudice.

Iudice terribilis sententia Marte feretur:
Quæ super Italiam præcipitata cadet.
Pluribus an dominis:an Regi pareat uni:
Væ tibi pars acie quæ superata rues.

Astrologi Iudicium

Astrologum migrare mihi foret utile nec ne:
Consului clarum:qui meus hospes erat:
Et quibus auspiciis:& quo fœliciter irem:
Inspecta genesi sic ait ille mea.

Stella Platine domi tibi quæ fuit:estq; sinistra:
Si natale solum dextra relinquis erit.
Carolus Italiam petiit uirtutis amicus:
Hic tibi gallorum Rex adeundus erit.
Hunc Iacobus apud tuus ille Triuulcius ingens
Se penes haud humili te dabit esse loco.

De duce Aureliæ & Mauro

Dux habet Aureliæ litem cum pricipe Mauro
De regno Insubri:belligerantq; simul.
Dicit uterq; suum:dubius Mars sustinet ambos:
Nescio:cui palmam iustius esse precer.

De eodem Rege ad musas.

Plaudite pierides & io mihi dicite pæan:
Quem canimus regem conualuisse ferunt.
Læserat ausa nefas quẽ suppuratio :postq̃
Vix fuerat regno redditus ille suo.
Seruauit Mariæ matris Deus ipse propinquum:
Nec potuit bello plus scelerata lues.
Iam peragrat saltus:& agros:& lustra ferarum
Figit:& ætholum cuspide primus aprum.
Quid melius musæ potuit contingere nobis:
Sospite Rege meus Dux Iacobus erit.

De sexto Alexandro summo Pontifice.

Sextus Alexander cum nomine numen adeptus:
Quam sibi conueniens istud & illud habet.

Ad principem Ludouicum Ma.Sfortiã

Nomen agit grates tibi Dux Ludouice latinum:
Quod p te incolume est: & celebratur adhuc.
Cui neq; Partenope:neq; Roma resistere quiuit:
Carolus inuenit te sibi Marte parem.
Fœdera nec tecum sibi iungere turpe putauit:
Pax tibi supremi Regis honesta fuit.

Ad Io.Iacobum Triulcium

Qui modo mœstus erã ductor fortissime:cũ sis
Dux meus:ire tuus non potuisse comes:
Te reduci lætor lugdunensiq; triumpho:
Qui tibi Reginæ Regis honorq; fuit.
Et tibi muneribus donato gratulor amplis:
Pro meritis aiunt illa fuisse tuis

Vtrum pax an bellum

Pax erit an bellum Gallo cum Rege Latinis
Sæpe ego consultus:sic ratione loquar.
Donec in Italiam Gallis remeare licebit:
Vincere per nostros qui didicere uiros:
Donec in Italia uirtus ingloria moeret:
Et nimium seruam se dolet esse diu:
Semper erunt animi Gallis & uota latinis:
Vincier his:illis uincere in Italia.

Ad Musam.

Quẽ mihi iure suo dat habere Triulcius heros:
Virgilio dignum musa tuere locum.
Scis me conductum:si nobis ire licebit:

Regis ut inuicti fortia facta canam.
Desere iam nugas:& regia concipe bella:
Scis oneri quanto sit mihi tantus honos.

Apud Regem Carolum ad ineundam
gratiam cum fide sufficere uirtutem.

Gratia Gallorum Regis uirtute paratur:
Quæ tamen egregia sit comitata fide.
Illustre exemplum fuerit Triuulcius heros
Virtutis fidei:Regis amiciciæ.

Quomodo Gallus Italo concilietur

Continuo Gallum tibi conciliare superbum
Experto poteris crede latine mihi:
Si Triuultinum te dixeris esse clientem:
Quantus apud Gallos sis Iacobe uides.

Ad Gulielmum ex rupeforti

O decus illius diadematis aurea passim
Lilia fundentis quæ genus omne colit:
O cui committit secreta suumq; per orbem
Regia maiestas omnia posse dedit:
O uir in ausoniis etiam clarissime terris:
Gloria ticini cuius alumna fuit:
Natio cum nobis sit tam diuersa duobus:
Cur Italus Gallum te Gulielme colo?
Et quid amabilius uirtute? uidemus ut illam
Christicola claram turcus in hoste probet:
Non obtusa quidem gesto magẽ pectora turcis

Obseruo similes hic & ubiq; tui.
Fama per Italiam celebrat cum Rege tuo te
Hinc ego sum præco regius atq; tuus.
Rege tuo fœlix ut sis:insubria nouit:
Vt fuit augusto Cæsare Tuscus eques.
Rexq; tuus quasi sol aliorum lumen opacat:
Orbis & ut princeps illa corona micat.
A Regis medico mihi nuper epistola uenit:
Quæ docuit notum me satis esse tibi.
Eiusdem monitu grates ego semper habendas:
Rem tibi pollicito uelle fouere meam.
Perge uir illustris bene de quocunq; mereri:
Sic imperpetuum det tibi posse deus.
Da mihi Mecænas istinc amplissime dextram:
Qua dextris auibus Gallica regna petam.

Ad eundem

Regie Mecænas iternm te musa Platini
Orat:ut exoret da Gulielme precor:
Ne mihi deesse uelis ad Regem ferre uolenti
Pacis & armorum munera rara simul.

Ad Theodorũ Guaynerium
physicũ ac oratorem Regiũ.

O Cinea Theodore tui clarissime Regis:
Ticini patriæ gloria magna tuæ.
Qui bene de Gallis meruisti:deq; latinis:
Vtraq; cui debet natio:nostra magis.

Scis ut in officiis in primo Tullius inquit:
Quod fiat dictum: nomen habere fidem.
Scis & ut hanc hosti seruandam præcipit idem:
Quid fieri sanctæ debet amiciciæ?
Gallicus ut fiam spem tu mihi sæpe dedisti:
Trans iuga me comitem duc Theodore tuũ.
Miliciæ paciq; bonus simul aptus utriq;
Regia bella geram: regia bella canam.
Vnde tibi fortassis apud præconia Regem
Si Rex ille tuus talia curat: erunt.
Magna mihi tribuo: quod nunq̃ fecimus olim:
Cum soleam potius displicuisse mihi.
Se laudare potest incognitus: & mea Clyo
Me leuiter notum credidit esse tibi.
Regius orator cum sis & foederis auctor:
Ad Gallum mitti se mea musa putat.

Ad eundem

Regia maiestas ubi te Theodore probauit
Sæpe: dedit meritis præmia digna tuis.
O q̃ splendidior reuenis: ut ab ignibus aurum:
Successu merito gratulor ipse tibi.
Si quid amore tamen merui spes o mea de te:
Da simul unde tibi gratuler atq; mihi.

Ad Baptistam fulgosum

Reddita q; tibi sit res hic ope Regis: & istic
Virtutem magni gratulor esse tuam

Te rogo sis ut eras adiutor ubiq; Platini:
Remq; meam foueas: quã Theodorus agit.

Loquitur Mediolanum de Illustrissimo Io. Iacobo Triuulcio reduci.

Quæ miscere meis & sistere uiribus omnem
Italiam potui: fœlix insubria quondam
Vrbs opibus nulli nec nobilitate secunda
Sub Mauro accepi deforme Principe uulnus.
Pacis & armorum titulos ueteresq; triumphos
Polluit ille meos: adeoq; ut gentibus essem
Ludibrio cunctis: nostro sq; inuadere fines
Quilibet auderet: passimq; lacesseret armis.
Ille repugnabat misso mox hostibus auro.
Gratia sit superis: qui restituere Triulci
Te mihi iure meum quem dicunt Hectora gẽtes:
Insidiis autem Maurus procul ille tenebat.
Vt fleui profugum: reducem sic læta recepi.

Ad Christianissimum Regẽ Frãcorũ Ludouicũ Mli ducẽ inuictissimum.

Dicamus pæana domi: peana forisq;:
Ecce Dei: nutu Rex Ludouicus adest.
Qui nos a Mauro tandem uirtute redemit:
Vt populum deitas a Pharaone suum.
Iussa capessamus Regis: Regemq; sequamur
Dilectum superis: ad styga Maurus eat.

Ad eundem.

Libertate data græcis a consule Tito
Per præconem: adeo græcia læta fuit:
Clamor ut astantum simul editus inde uolantes
Ad terram traheret uerberis instar aues.
Tale quid expectans ab Rege insubria: pulso
Quem recipit Mauro: plausibus astra ferit.
Sol etiam pulcher: qui nubibus ante latebat:
Affuit intranti Rex Ludouice tibi.

Ad eundem Regem.

Salue Dux noster magnorum maxime Regum
Veneris auspiciis Rex Ludouice bonis.
Quando quidem superos ĩ terris uiribus æquas
Et superi terras quas adiere fouent.
Numinis aduentusq; tui fœlicia signa
Insubrium populis omnibus ede tuis.

De eodem Rege

Cedite Gallorum Regi quicunq; tenetis
Regna latinorum: Ludouicus numine diuum
Venit in Italiam: Componat ut arbiter omnem:
Atq; reluctantes debellet ut ense tyramnos.

Ad Illustrissimum pregem. d. Io. Iacobũ
Triuulciũ Regiũ imperatorẽ inuictũ.

Quæ duo gessisti pro Gallis bella duobus
Regibus: omnino Cæsare digna forent.
Fecisti maiora fide: tua pulsat olympum
Gloria Triuulci te genus omne colit.

O lux insubrium tutela salusq; bonorum:
Accipe me uatem dux Iacobe tuum.

Ad eundem de Mauro

Flere fugam Mauri debetis auesq; feræq;:
Festa fugæ debet gentibus esse dies.
Scilicet agricolas passim perdebat & agros
Maurus: ut alitibus parceret atq; feris.
Lætari sub Rege pio: proregeq; fas est:
Et licet innumeras nunc agitare feras.

Ad principes Italiæ de eodem

Vultis adhuc auro rerum seruire potiti:
Quam noceat: Maurus uos docuisse potest.
Qui Crassum referens amisit nobile regnum:
Cum populis odio principibusq; foret.

Ad Io. Iacobum Triuulcium.

Composito uirtute tua mihi consule regno:
Gallorum Regi quod tua dextra dedit.
Iam socium (sic ipse uocas) extolle iacentem:
Ne tibi sim tanta disparitate pudor.
Dicere me socium dignare benignior æquo:
Dico ego me seruum Dux Iacobe tuum.

Ad eundem

Qui dominatur ait rebus fortuna quibusq;
Præcipue bell: dicere falsa reor.
Felicem Maurum tua bis sapientia fregit:
Auspiciis captum dux Iacobe tuis

Gratulor: en habeo quod tota mente petiui:
Insubres iterum te duce Regis erunt.

Ad eundem de eodem

Te similem fratri cæso: Triuulcius heros
Maure diu talem uiuere uictor amat
Gallica te uiuum custodia semper habebit
Ludibrium Gallis: Italiæq̧ notam.
Degenerem dominũ uir summus ferre nequiuit:
Et te cum tota perdidit ille domo.
O deleta domus fratrum ceu silua duorum
Quæ fuerat mundi sub genitore decus.

Ad eundem pro Garlaschinis.

Garlaschinorum respondet fida uoluntas
Non autem munus dux Iacobe tibi
Tu commendatos habeas nihilominus illos:
Garlaschumq̧ tuis omnibus adde locis.

De constantia Garlaschinorũ erga regẽ

Errat Garlascum quicunq̧ uolubile dicit:
Inuenit constans ista corona sibi.

Ad Io. Thomam Platum patruum.

Garlaschina fere rapuerunt omnia Galli
Vt reliquum seruet dux Iacobus ago.
Hic mihi nulla metũ iam præbent arma sed: isthic
Patrue non possum non timuisse tibi.
O utinam fallar: uobis grauiora parantur:
Mars extra muros: intus erimnys erit.

Ad Antonium Triuulciũ tituli sancte Anastasiæ præsbyterum Cardinalem.

Digna fuit semper roseo tua uita galero:
Magnifica: illustris: candida: larga: grauis.
Et q̃uis titulis ingentibus esset abundans:
Maior erat meritis: splendidiorq̧ suis.
Ore tuo poscente: tuis & moribus illum
Tanq̃ gestares: hic pater altus eras.
Vtq̧ tuus præstat patruelis marte feroci
Magnanimus ductor: religione uales.
Ergo accessit honor patriæ plusq̃ tibi nostræ
Iste tuus: nec adhuc hunc puto finis habet.

De Magnifica domo Antoniana

Cuius habet nomen Triuulcius atria diui
Flamen: ei posuit sumptibus ista suis.

Ad Antoniũ Triuulciũ p̃sbyterũ Cardinalẽ.

Illuxit tandem lux optatissima nobis:
Qua te fœlicem cerno domumq̧ tuam.
Sæpe meos olim uerbis miserate labores:
Re mihi nunc ipsa consule: quando potes.
Vt ualeam uirtute frui clarissime præsul:
Teq̧: triumphali cum patruele tuo.

De immanitate regiorum militũ
in Regis amicos

Regis amabatur Francorum nomen ubiq̧
Regius inuisum miles id esse facit

Vexat iter faciens omnes impune rapinis:
Quid de uerberibus uulneribusq; loquar?
Poſcenti Gallo ſi quid fortaſſe negaris:
Aut dare diſtuleris:carpe repente fugam.

De ſe propter ueſtē a Gallis ī arcē admiſſo.

Non mihi ſed ueſti datus eſt ingreſſus in arcem
A Gallis:habitum qui coluere meum.

De Iafredo Caroli regio ſenatore:Delphinatus præſide digniſſimo.

Eripitur nobis:& grat̄onopolis urbi
Omnibus inuitis archidynaſta datur:
Iafredus populos Delphinis qui regat omnes:
Nil inconſulto non lene fiet eo:
O felicem illam ſapienti præſide gentem:
In delphinatu gaudeat omne genus.
Noſtra ſenatorem dolet urbs amittere talem:
Eſt apud Inſubres optima fama uiri.
Cognitus a nobis omni uir dignus honore
Mille ſuæ teſtes integritatis habet.

Gratulatur auctor Mediolanenſibus de reditu eiuſdem.

Lætus ego o ciues rem uobis nuncio gratam:
Et quæ momenti non ſit habenda leuis.
Iafredum Caroli ſuſpirabatis ademptum:
Plaudite:ueſter adhuc ille ſenator erit.
Iam redit:ipſe uirum uidi modo cum remearet

Hac:ubi ſunt meritis regia dona ſuis.
Tu maieſtati grates age patria Regis
Quæ tibi reddiderit : quem cupis ipſa uirum.

Ad Stephanum Ponzerii Regii ſenatus Mediolanenſis præſidem optimum.

Scribere q̄ placeas urbi pater optime noſtræ
Crede mihi longi carminis eſſet opus.
Plurima debetur Francorum gratia Regi:
In loca qui talem miſerit iſta uirum.
O Stephane ī tota Druydum ſanctiſſime uita
Omni doctrina prædite:prime patrum.
Te ſimileſq; tui ſententia dia Platonis
Eſſe beatum orbem qui faceretis ait.
Sis utinam noſtra moderator in urbe ſenatus
Perpetuo Regis:tempora cuius egent.
Coram te ſtropha nulla ualet iuſtiſſime p æſes:
Et ſine patrono te bona cauſa mouet.
Litiget ergo rudis cum docto tutus apud te:
Cnm domino ſeruus:cum ſeniore puer.
Et comitata ſacras ornat facundia leges:
Gallus:es & latius te negat eſſe lepos.

Ad Claudium de Seiſello Regium Senatorem digniſſimū.

Maguifice o Claudi uirtutum fama tuarum
Me pridem cupidum fecerat eſſe tui
Effecit Gabriel uerus modo teſtis earum

Qui medicas artes:pieriasq; tenet.
Vt tibi me prodamq;:speremq; benigne senator
Sic in amiciciam posse uenire tuam.
Sum celebraturus te sæpius o uir ad unguem
Facte:lyra meritis inferiore tuis.
Tu præstas omni uirtute:peritia legum
Est gemina in nostro climate parta tibi
Mira tibi probitas:& rerum maximus usus:
Cana fides in te consiliumq; uiget.
O felix igitur Claudi me pone tuorum
In grege amicorum cum Gabriele tuo.

Ad Io. Thomam Platum pa
truũ de reditu Summi Triuulcii

Scribo quod Illustrat patriam tibi patrue nostrã:
Er merito debet cuiq; placere bono.
Noster erit quantus fuerat Triuulcius heros
Reginæ & Regis lætus honore redit.
Ergo bonam mentem si patria nostra recepit:
Imperio ciuis gaudeat illa sui.
Quem superi:uirtus:& gloria ad astra leuarunt.
Cui meritis ætas non habet ista parem.

Ad Illustrem.d.d.Io.Iacobũ Triuulciũ

Dum tu componis cum Rege negocia regni:
Hos ego composui Dux Iacobe modos.
Tu nunc es Regi Ludouico:Carolo & olim
Consilio Nestor:Aeacidesq; manu.

Gaudet & exultat te propter ubiq; Platinus:
Propter se mœrens incola ruris adhuc.
O mala conditio:mea non obscura poesis
It pedes:& longas incomitata uias.
Et potitur rerum Triuulcius eius amator:
Præterea socium me uocat ipse suum.
Eripe me his inuicte malis:& da mihi tandem
Promissi titulum Flaminis atq; locum.
Da per amiciciam primæ lanuginis usq;
Ad canos albam:quod peto si merui.
Sed merui certe:si quid ualet esse fidelis :
Et petitur nutu res mihi danda tuo.
Annue:dona dabo tibi non ingrata:canemus
Regia cum gestis inclyta bella tuis.
Si geminata facit tua me uictoria ciuem:
Efficiet uatem Regis & illa tuum.

Ad Illustrissimum ac reuerẽdissimũ
Cardinalem Rothomagensem.

Qui maiestatem uult nostri cernere Regis:
Quem pro se uideat misit in Italiam
Magnifice legans:ut si Rex ipse ueniret
Lectum ex agnatis principibusq; patrem.
Vtq; nihil maius Francorum Rege uidet sol:
Sic Rothomagensi præsule nil melius.

De eodem & Io.Iacobo Triuulcio.

Alma creat natura uiros:& sydera iungunt:

Idq; per heroas cernimus ecce duos.
Cum Rothomagensi Triuulcius omnia sentit.
Maximus iste ducum: maximus ille patrum.

Ad herculem Estensem Ferrariæ ducē.

Omnibus amissis mea portans omnia mecum
Priuatus patria more Biantis eram:
Cum tua me profugum suscepit Regia princeps
Herculis o uirtus altera: nomen idem.
Quid mihi læta domi maius fortuna dedisset?
Est aliquid tanto iam placuisse duci.
Exulis est optare lares: quibus ipse potitus
Non possum meriti non meminisse tui.

Ad Gulielmum Mōtisferati Marchionē.

In quo monstrat auus cœlum stellasq; nepoti:
Hæc Arpinatis uerba libellus habet.
Septimus est inter numeros: qui plenus habetur:
Cætera quid referam Marchio nota tibi?
Quid uelit hæc numeri septeni mentio dicam:
Hoc anno reduci contigit esse mihi.
Non ero mi princeps ꝓfugus: non amplius errās:
Sæpe mihi in regno conueniere tuo.

Ad Cicchum Simonetam.

Qui bene fers huius molē pater optime Regni:
Par oneri tanto te rogo Cicche potens:
Vt locus in patria reduci mihi detur honestus:
Cumq; meis ducibus te celebrare domi.

Lustraui satis Italiam septem hactenus annos:
Tunc te credo meas indoluisse uices.
Qui patronus eras olim: nunc effice iudex:
Vt fruar arbitrio liberiore tuo.

Ad Io. Iacobum Simonetam.

Per qui te genuit similem sibi: cuius honores:
Et merita Insubris gens Iacobe colit.
Per decus: atq; tuæ plausum Simoneta iuuentæ
Te rogo: fac genitor me sciat esse tuum.

Ad Baptistam fulgosum.

Immemor es nondum puto regni factus habenis
Care tuæ patriæ dux & alumne meæ:
Insubrium quinto me sub duce uincla tulisse
Erumnas animo te patiente meas:
Cum mihi pro decimi quintiq; laboribus anni
Terquinos menses carceris ille dedit.
Aemulus ingenii nostri: quis crederet unq̄?
Offendebatur laudibus ille meis.
Quas aliquando mihi tribuebat ad ipsius usum
Ante suos uultus diuus uterq; parens.
Calcar eram puero puer: increpitantibus illis
Si detractassem: calcar & ipse mihi.
Tunc inter claros aulæ numerabar ephoebos
Indole: re: fama patris: amore ducum.
Prospera barbato sub eodem forte fuissent:
Cum leui domino quæ nocuere mihi.

Euomuit uirus post aspera fata parentum:
Imperium nacto uis ego prima fui.
Tot mala perpessum noua fata: uicesq; secundæ
Fecerunt alacrem me dominante Bona:
Ad quam sponte mea linquens hiberna cucurri:
Iste mihi profugo septimus annus erat.
Tempora quæ tulimus ratione carentia quondã:
Compensare tua conditione libet.
Sed redii uelut ille suis ignotus Vlisses:
Naufragii conor rebus adesse mei.
Quem nosti frater maior me lite fatigat:
Credideram Fuco mel: pecudemq; lupo.
Mox Babtista frui cupio te principe coram:
Et fessum in regno me recreare tuo.

Ad eundem.

Dux equitem superet: uir ephœbũ postulo: quodã
Me puer ornabas: & generosus eques.
Nunc & sceptra tenens: & fœlix integer æui:
Quid facies? omni me cumulabis ope.

Ad eundem.

Gratulor arma tibi pacem peperisse decoram:
Quam bene dux ligurũ tempus utrũq; tenes.
Quid de Posterula scribam tibi nescio nostro:
Quod cupis: & cupio sors inimica negat.
Tu princeps Babtista uale: quo sospite: quoque
Felici nequeo: sim licet: esse miser.

Ad eundem.

Quam cito uerterunt in luctum gaudia nostra:
Nescia res hominum fata fouere diu.
Qui modo gratatus fueram tibi re bene gesta:
Nunc ego mœrorem quæro leuare tuum.
Dux Ligurum periit tr a sancta uicaria mater:
Quæ tibi curarum dulce leuamen erat.
Occidit antiquæ probitatis dia uirago
Par uirtute suo Bartholamea uiro.
Occidit in prima mulier præclara senecta:
Mancus es: o princeps hæc tua dextra fuit.
Tu tamen o soboles tantorum uera parentum
Fortiter ut Martis ferre pericla soles:
Sic animo forti fer acerbæ uulnera mortis:
Officium pietas edidit omne suum.
Viua tuum sensit: nec mortua nescit amorem:
De uiuis aliquid si tamen umbra sapit.
Adde quod illa tuas uidit res undiq; lætas:
Nupta duci genitrix iuit in astra ducis.

Ad eundem.

Inclyte dux ligurum tua per chirographa noui:
Scire: quod optabam te meminisse mei.
Et quod in excelsis te seruas rebus eundem:
Cognitus a puero: qui mihi semper eras.
Nec fortuna tuos mutauit maxima mores:
Nec bona sunt animi facta minora tui.
Quin ad eas artes quibus hic ætate uacasti:

In tenera: mecum te reuocare cupis.
O me foelicem quem tu mitissime princeps
Istuc ad libros Aonidasq; uocas.
Tu patriam compone tuam cum numine diuum
Idq; breui: uotum ne remorere tuum.
Ipse celer ueniam: laribus: curisq; relictis:
Et quodcunq; uoles munus obibo tibi.
Esse tibi quæ me testatur epistola carum
Plena lepore tuo scripta manuq; tua:
Inter odoratam cedrum seruatur apud me:
A tineis illi iugiter ut caueam.

Ad Franciscum Philelphum

Ex quo me patriæ iam septima reddidit æstas:
Votum unum profugo quod mihi semper erat.
Tam bona lux adeo nondum mihi contigit ulla:
Quam fuit hesternus dulcis in arce dies:
Cum mihi magifico narrauit de grege quidam
Ex animo Romam nunc abiisse tuo.
Nec te principibus potuisse resistere nostris
Victurumq; bona condicione domi.
Gratulor anguigeris ducibus: patriæq;: tibiq;:
Gratulor ingenuis artibus: atq; mihi.
Diuus habet nondũ meritos Frãciscus honores
Inclyta perscribas gesta Philelfe ducis.
Sunt de messe tua: mea qualiacumq; leguntur:
Accipe de spicis grana Philelfe tuis.

Ad P. Candidum Decembrem

Terminos urbis dominantis orbi
Ad necem uicti Mitridatis usq;
Nil Apiani reliquum sinendo
Candide legi:
Cuius interpres facis: ut pelasgum
Codicem docti fateantur omnes
Nostra complexum grauiter: latino
Cedere nulli.
Ipse qui nulli fueram secundus:
Qui tuis esset studiis amicus:
Publico factus tibi sum meoq;
Debitor usu.

Ad Ioannem Thomã Platũ patruũ.

Venimus in ligures ut patrue: tota reliquit
Me ratio uitæ: quæ fuit ante domi.
Nunc tuba pro cithara placet auribus ærea nr̃is:
Pro calamo tælum nunc mea dextra tenet.
Succisiua duces interdũ carmina poscunt:
Nulla meam uincunt æra canora lyram.
Adde quod ultrici ferro res ista geretur:
Hæc ad purgandum me tibi missa putes.

Ad Sfortiam Barri ducem.

Insubri populo grates indicit agendas:
Omnibus hæc aris littera missa tibi.
Fudimus indomitos passimq; fugauimus hostes:

Per mare:per montes arripuere fugam.
Laurea debetur ducibus:sed prima Roberto:
Rem bene consilio gessit:& ille manu:
Illustresq; tuos fratres manet altera laurus:
Et Triuulcius:& corniger hanc meruit.

De ducibus nostris.

Dux Bona cum nato q uincit sæpius hostem:
Non fortuna facit:sed bona causa ducum.
Pupillum superi uidua cum matre tuentur:
Siue suum bellum:seu sociale gerunt.
Cæsarianus erit:ducibus si militet istis:
Qui Pompeiana fugerit ex acie.

Ad Ioannem Iacobum Triuulcium.

Diues amoris:egens auri tuus ille Platinns:
Te donat numeris:egregiaq; fide.
Talibus o proceres inter clarissime nostros
Te delectari sensit:& ipse ualet.
Quo tibi dona frequens certatim mittit amicus:
Accipe natali pignora nostra die.

Ad eundem

O nostræ decus urbis eques belliq; togæq;:
Consilium prudens uiridiq; senile sub æuo:
O spectata fides huic omni tempore regno
Impiger armorum ductor: formidinis expers:
Prompte manu:nec auaſ tui pugnādo cruoris:
Si tibi magnifico munuscula rustica misi:
Ne mireris:ago ruri uitam inter agrestes:
Siluestres didici mores:lautosq; reliqui.

Genethliacon filii ad eundem.

Hæc Iacobe tuo fulserunt sydera nato:
Quem genitum nuper gratulor esse tibi.
Astra Iouis Venerisq; ferum moderantia martē:
Et sol Erygones in regione fuit.
Editus est infans in quo spectata suorum
Maiorum probitas: & genitoris erit.
Cui sumpsere colos niueo de stamine parcæ:
Quem fieri clarum uita paterna iubet.
Tu bello:tu pace bonus:tu maxime ciuis
Tantus es in patria:quantus Herasmus erat.
Vnica restabat soboles optanda uirilis:
Ecce puer fies unde frequenter auus.
Donauere tuo preciosa crepundia nato
Qui tecumq; coluntːipse Genethliacon.

Patria ad Renatum Triuulcium

More tui fratris tu me quoq; reddis ouantem
Fortiter o clades ulte Renate meas.
Theutonas acre genus formidatumq; fugasti.
Immo trucidasti saucius ipse pedem.
Sanguine barbarico ualles cum mōtibus undāt:
Et didicit Theuto uertere terga mihi.
Quelibet ex omni iuuat hoste referre triumphū:
Præcipue ciues quem peperere mei.

Et collega tuus tecum de hoc hoste triumphet:
Bonromæus eques charus:& ipse mihi.
De Francischina Triuulcia.
Si qua sepulturam meruit matrona superbam:
Si cui debetur publicus urbis honos:
Francischina suo sibi iure Triulcia poscit:
Quidquid honoratũ funus habere potest.
Coniuge clara:superstitibus clarissima natis:
Tam proba q̃ fœlix astra petiuit anus.
Epitaphium Gasparis Triuulcii.
Et pius impleuerat Gaspar te & nobilis ardor
Visere Parthenopen:& patris ossa tu i.
Et latium peragrare uetus:proh fata reuertens
Hospes ariminea raptus in urbe iaces.
Aspera te lachesis præstantibus inuida:campos
Dum petis insubres:misit ad elysios.
Triste sui lætum patriam turbauit alumni:
Et tua luget adhuc te generosa domus.
Si tibi fata moras æquas in luce dedissent:
Quæ festinata te rapuere colo:
Insubrium toga prima fori lumenq; senatus:
Et Mediolani fama futurus eras.
De Scaramucia Triuulcio iuuene admirãdo.
Bellatoris habet merito Scaramucia nomen:
Gymnasium decorat qui Papiense puer.
Cum senibus certat doctoribus:hunc schola pria

Audit:& inuictum porticus illa uidet.
Sed Triuulcius est:ideo subtilis & acer
Ista domus belli:fertq; decora togæ.
De Iasone Mayno.
Inueni similem dum miror Iasona Maynum.
Laudibus Herois nomen habentis idem.
Ille reportauit preciosi uelleris aurum:
Tesaurum iuris rettulit iste sacri.
Aesonidæ famam dedit aurea lana peremnem:
Scripta super leges per sua Maynus habet.
Ad Lancellotum Decium.
In causa quicunq; sua de iure laborat:
Consulat oraclum te Papiense Deci.
De Petro Crasso
Petrus ob ingenium Crassus propterq; leporem.
Crassi oratoris se genus esse probat.
De anu Cæca quæ nupsit formoso iuueni
Formoso iuueni populus miratur & instar
Prodigii cæcam nubere ducit anum.
Miretur potius sibi delegisse maritum
Luminibus captam:lumina cũnus habet.
Ad Iacobum Antiquarium.
Legimus in luctu quæ sint adhibenda:uirosq;
Qui cito mœrorem deposuere suum.
Phormio delirans arethologus esse uidebor
Hanibalem cupiens instruere arte sua.

Si tibi quem uita studioq; Platona referre
Cernimus: ipse feram philosophantis opem:
Nil a te facies alienum morte nepotis:
Et lugebis eum pro grauitate tua.
Me tuus iste dolor cruciat: recreorq; quod oēs:
Crede mihi: nostra tangit in urbe bonos.
Iudice qualis erat cuncto Nasica senatu:
Talis es ipse patrum iudicioq; ducum.
De Bartholameo Chalco.
Chalcus amat nrūm Merulā: quē chryseus ornat
Nec minus ingenio q̄ probitate ualet.
Consilio certat cum Mœcenate fideq;:
Plurima cum tulerit: plura meretur adhuc.
Ad Nicolaum nigrum
Publica quiq; simul priuata negocia tractas
Dicte per antiphrasim uir generose Niger:
Accipe de turba te circunstante molesta:
Q uem prius expedias utilitate tua.
Si sapis esse iube: qui nil agit aduena primum
Hic aliud: tibi plus ille molestus erit.
Ecce meam rem talis ago per tædia tecum:
Teq; perhumanum sæpe rogamus idem.
Sumq; rogaturus miserere tuiq; meiq;:
Cui caupo noctes annumeratq; dies.
Ad Georgium Merulam
Musarum periit decus mearum

I nsignibat enim pater Philelfus
O mnes ingenii mei labores.
O rbus nunc opus hoc repente lusi:
A d quem posthume confugis libelle?
R espondes: ad opem: alteramq; limam.
M e doctissimus (ut solet) minutum
T otum reddet ais modo politum.
Q ui græca: & latia madet Minerua:
E t qui grande refert utrinq; nomen.
R ecte consulis & tibi: mihiq;
A liuore quibus caues edaci.
I am desiderium fero Philelfi.
A d Clarum Merulam propera libelle.
Ad eundem.
Hybleum redolent thymum Georgi:
Q uæ scribis puto comparanda chartis
S ic anthenoreis: ut ipse pares
V arroni: Fabioq; utraq; lingua:
O ri propterea tuo putaui
M ittendum mel harundinis figurans
I llum mellifluum tuum leporem.
De eodem.
Vtraq; nunc ætas Merulæ noua: priscaq; debet:
Suscitat antiquos: amplificatq; nouos.
Ad eundem.
Fundi prædo mei forum Georgi

M e rebus spoliat tibi dicatis:
E t iudex rapit:& rapit patronus:
R adit causidicus:notariusq;.

Ad eundem

Inuitus Merulam deceptus & ipse fefelli:
Cogitur interdum uir dare uerba probus.
Assiduus cultor fideiq;:tuiq; Platinus
De testudineo se tibi purgat equo.
Q uæ tua natura est:ignosces:atq; putabis:
Crimine de tanta me caruisse mora.

Ad eundem

O nostræ citharæ decus Georgi
M itto dona tibi:mei sed horti:
I n quo nil uenit admodum probatum:
A utumniq; simul prioris uuas
A gri ipsasq; mei parum beati:
Q uæ seruata domi superfuerunt
I ndignante gelu.meæ puellæ
M ensæ dona tuæ damus secundæ
A d ieiunia scilicet dierum
S anctorum faciunt: edas licebit:

De morte eiusdem.G.Merulæ

Ennius ut fleri uetuit sua funera uates:
Sic Merula orator rhetor & historicus.
Flet tamē orba suum simul utraq; lingua parētē:
Magnam iacturam fecimus in Merula.

Ad Io.Iacobum Triuulcium

Vnde tibi uitulum si possem mittere baccar:
Aut uænale foret sicut in urbe piper:
Misissem potius:nec inepte:cingere frontem
Maxime Triuulci baccare:cuius eges.
Gloria parta foris:ut nuper ad Auximon:obsit
Ne tibi: sollicitor nunc Iacobe domi.
Q uam non euasit pœnorum uictor uterq;
Scipio:non dabitur peste carere tibi.
Inuigilare tuæ laudi:pariterq; saluti
Debeo:si ingrati nolo subire notam.

Ad Io.Thomam Platum patruum

Redditus antiqua Syrenum unius ab urbe
Iam lustro exacto per uariasq; uices
Hic pernoctauit nuper Triuulcius heros:
Et nondum nostros uiderat ille duces:
Cum magno comitum numero:qualiq; solebat
Q uærere quid ueniat me puduisse pudet.
O mihi quanta pius tanti complexus amici:
Et lepidus sermo gaudia quanta dedit.
Patrue q̄primum de te nos ille rogauit.
Q uis tam mansuetum nolit amare ducem?

Ad Io.Iacobum Triuulcium

Sæpius e castris ad nos Iacobe feruntur:
Q uæ præclara manu:consilioq; geris.
Nec modo rumores:& fama renunciat:atq;

De nirtute tua crebra tabella uenit.
Sed res ipsa tuum nobis ostendit honorem:
Prædaq; conspicitur parta labore tuo:
Et spolia:& captos a te modo uidimus hostes:
Vidimus:& tota plausus in urbe fuit.
Crede mihi patriæ geminantur gaudia nostræ:
Hostibus oppressis a duce ciue suo.

Ad eundem.

Scis ut amore tuo soleam gaudere:fruiq;:
Scis o præsidium:dulce decusq; meum:
Vt te sæpe rogem:tanto mihi semper amico
Est opus aduersum tristia fata domi.
Scis Iacobe mihi sit quanta licentia tecum
Illius antiqui iure sodalicii:
Quanta sit agnosco meritorum summa tuorũ:
Et cupio gratus:sed uetor esse tibi.

Ad eundem

Te fraudare die natali nescia nostra est
Carmine musa rudis:munere parca manuq;.
Quandocunq; domi nobis hoc tempus agetur:
Sic ego te semper magne patrone colam.
Non mea uacillat de te concepta:uel in te
A teneris annis inuiolata fides.
Si tua te uirtus Illustrem fecit:Achatem
Obscurum fieri ne patiare tuum.

Ad Ludouicũ Marchionem Saluciarũ.

Tandem iusta deus qui respicit:& tua uirtus
Te reducem regno restituere tuo.
Sallucinorum ualuerunt uota tuorum:
Et mea:tu me etiam Marchio redde tibi.
Exilium non esse miserũ uiris Illustribus.
Semper ego exilium miserum non esse putaui:
Nec turpem ducibus:principibusq; fugam:
Qui sibi cauissent:ubi quæstio lucis agatur:
Et profugi magnas res aliquando gerunt.
Debellauit enim Maurum Triuulcius exul:
Remq; Salucinam uindicat exilium.

Ad Iulium Cataneum.

Carmina nulla rubent:& epistola nulla rubescit:
Si plus interdum q̃ meruere petant:
Quam mea musa roget te confidenter Iuli:
Accipe nostrorum scriba diserte ducum.
Qui tibi debebam quicquid debetur amico
Pro uirtute tua:munere proq; tuo.
Officium peto rursus idem:rescribe tabellam:
Quam semel edideras officiose mihi.
Hãc male commissam tulit aduena forte uiator.
Certior exemplum qui ferat alter adest.

Ad eundem

Coner Iuleam si compensare tabellam
Carmine:non helicon sat mihi totus erit.

De Io.molo.

O q̃ lauta dedit collegis prandia Molus·
Cum Puteolano:cum patruoq; mihi.
Ad Laurentium Medicem.
A ducibus nostris ethruscas mittor ad oras
Cum Florentinis auxiliante manu.
Ne ualeam:si me belli discrimina terrent:
Aut labor:aut sumptus:difficilesq; uiæ:
Laurenti Medices adeo desidero tecum
Rebus adesse tuis:cum ducibusq; meis.
Impete Pontremuli magno superauimus alpem:
Castraq; iam Lunæ proxima plana tenent.
Agmen agunt raptim ductores:optima causa est:
Q uã Bona:cum nato dux duce nostra fouet.
Ad te ego cum musis & primi munere pili:
Pro te uitam & opes expositurus eo:
Tuq; tuum cernes coram uenerande clientem:
Q ui tibi quod uoluit mittere:reddet opus.
Ad Io. Thomam Platum patruum.
Patrue cunctando uicinum Ludimus hostem:
Tempus enim terimus:tempus ut ipse terat.
Dedecus est illi maius:quo maior habetur
Milite:quoue suo non caret ille duce.
Vnde ducem nescimus adhuc arcessere detur:
Q uem cuperent omnes:unius ira negat.
Sed uigilat noster Triuulcius:ille cremauit
Nuper apud Senam mille sub urbe domos.

Hoc ausus noctu cum solo milite nostro:
Nos in castra procul mane reduxit ouans.
Ad Federicum Vrbini principem.
Dum simul it uester:nosterq; exercitus omnis:
Q uod fieri fœdus:paxq; sequestra sinit:
Ibo frequens ad te Federice:ducemq; calabrum:
O meritos opto sæpe uenire dies.
Ad Laurentium Medicem
Nullus ab hoste metus me castra reliquere cogit:
Aut odium belli:militiæ ue labor:
Sed me sæua fugant diri contagia morbi:
Nulla uiri uirtus quem superare ualet.
Vnde frequens moritur sua per tentoria miles:
Nec locus est armis:nec locus ullus equis.
Sola procul celeris fuga nos a peste tuetur:
Hac uolo consultum protinus ire mihi.
Laurenti ualeas:ualeat Florentia tecum:
Perpetuo fœlix sit tua tota domus.
Ad eundem
Antonellus equos mihi tris prædator ademit:
Pabula quæsitum dum properanter eunt:
Magna ex parte pedes sum castra reliquere iussus
Siue hac iactura:siue quod æger eram:
Me cito Pisarum thermæ fecere ualentem:
Tu cito Laurenti me facies equitem.
Ad Anastasium fratrem Iuris Consultum:

Diui Christofori Lux expectata propinquat:
Hic solet Insubribus candidus esse dies.
Illius est ædes extra uenerabilis urbem:
Omnis eam sexus: omnis & ordo petit.
Incipit in lucem: nec uespere desinit agmen:
Exclusumq; sua numen ab æde colit.
Pars ratibus: pars fertur equis: iuueniq; puellam
Fas est ferre suam: uel sua uota sequi.
Nec desunt cithare: nec dulcia carmina: credas
Festa classe Parim: Tindaridemq; uehi.
Hæc mihi te debet lux alba ex fœdere frater:
Quin huc pactus eas: nemo negare potest.
Iamq; para comites iucundos: ipse puellas
Hic tibi iucundas: hospitibusq; paro.
Accipiet læto mea te Prudentia uultu:
Et tibi cantabit: ducet & illa choros:
Saltabunt aliæ pingues: & solibus ustæ:
Istic urbanæ seria linque togæ.
Mittam ego uectores: tecum duc oro sodales
Campanumq; tuum: Nicoleonq; meum.
Me quoq; præmoneas facturus aquane solone
Sis iter: hoc nauem postulat: illud equos.

Ad Nicolaum Seraticum

Semper habet quicq̃ Prudentia flebile: semper
Quod doleat: nostram quodq; requirat opem:
Ne male causidicum: ne fratres: neue sorores

Exciperet: ne te: quem colit illa simul.
Luce dies sequitur quam Christum festa gerentis
Cortis aues læto: turris auesq; dedit.
Copia nec uerubus sua: nec sua deerat ahænis:
Parca tamen nobis uisa culina fuit.
Adde tuos dixi quot habes: & habebat alumnos
Quattuor: it: iussis paret & illa meis:
Aut uoluit parere: timor concessit amori:
Perdere nec quartum sustinuere manus.
Me quoq; celauit factum: quod deniq; casus
Attulit in lucem: crimen & illa suum
Mas erat: esse uirum uetuit: pudibundaq; uelli
Iussit: opus ferro docta peregit anus.
Causa latet mortis: raptum Prudentia plorat:
Et nimium mores illius ipsa refert.
Hic meus inquit erat socius tælam inter acusq;
Murmure respondens ad mea uerba suo.
Nec mihi pensa luto: nec stercore polluit unq̃:
Contentus calathi margine uiminei.
O q̃ mansuetus: o q̃ spectabilis ales:
Crure tenus magnus: pectore latus erat.
O qualis quantusq; capo: si uiueret esset:
Munus enim regum: pontificumq; foret.
Ansere: uel magno maior pauone fuisset:
Hanc nisi solarer: uiuere nolle puto.

Ad Io. Thomam Platum patruum.

Dii precor irati sint uitæ semper eorum:
Quorum perfidia littera missa perit:
Reddere qui nostras tibi neglexere tabellas:
Quas ad te binas & prior ipse dedi:
Quod tibi cũ nrĩs bene sit mihi summa uoluptas
Accepisse fuit:quam dare sæpe uelis:
Laida quã scribis grauidã penes esse colonũ:
Vt facis asserua patrue resq; meas.

Ad prætorem Pisarum

Si Florentinos orientia bella timentes
Anguigeri nunq̃ deseruere duces:
Auxilio si nunc en quas misere cohortes
Regis Aragonii sustinuere manus:
Dic prætor Pisane suos cur accipis omnes
Tam male nos equites in dicione tua?

De uiro q̃ uolebat uxorẽ efferr nõdũ mortuã

Dum putat uxorem gaudens obiise maritus:
Dum properat funus:dote cupitq; frui:
Illa resurrexit:moestissimus ille remansit:
At opos hæredi clauda uidetur anus.

Ad Nicolaum seraticum.

Tu Maro:tu Naso:tu Bilbilis altera musa
Contendis fieri per decus omne lyræ:
Sum fateor Ssectatus idem eratice quondam:
Nunc ad Aquinatis me rapit ardor opus.
Non facit ad nostros sulmo;neq; Mãtua mores:
Sed labor Arũcæ tempora nostra forent.

De eodem ad lectorem.

Carmina durabunt(mihi crede)Seratica lector:
Iam sua Nicoleon Insubris ora legit.
Et ualet ingenio Seraticus:& ualet arte:
Dulcis:& argutus:plenus ubiq; salis.

De Thadea iniciata sacris.

Dum fuerat psalmis assueta futura sacerdos:
Deiectis oculis ibat operta caput:
Nunc lasciua canit:crines Thadea:cutemq;
Nunc colit ad speculum:coniugiumq; petit:
Nunc aperit frontem:nitidosq; attollit ocellos:
Et iuuenes torquet:torquet & illa senes:
Nuptarumq; choros uittas exosa frequentat:
De ueteri superest relligione nihil.
Sed quia de foribus refugit me:deq; fenestris:
Se putat hoc uno posse pudore tegi.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Aruicolam tu credis adhuc me forsitan esse:
Et sumus in patrio patrue nuper agro:
Testatur medices usum me fortiter armis:
Tu nostro illius redde diploma duci.

Ad Diuum Io. Baptistam.

De superis unus meruisti diue Ioannes:
Vt tua lux esset:noxq; colenda simul.
Illa quod in templis animarum crimina tollat:

Sub Ioue corporibus rore q̧ hæc scabiem.

Ad Io. Cribellum.

Tu qui sæpe meas tua poscis ad ocia nugas:
Nec festinatas spernis ineptiolas:
Accipe daq; meo Cribelle disette libello:
Immundæ cereri quod dare cribra solent.

Ad Cæsarem Saccum.

Nominis impositi tibi sorte uidetur acumen:
Et uigor ingenii causa fuisse tui.
Cognomenq; tuum doctrinæ copia seruat'
Artibus o Cæsar Sacce referte bonis.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Patrue fallaces totiens expertus amicas
Debeo foemineos iure timere dolos.
Scorta nihil fidei: nec amoris habentia quicq̃
Omne nefas audent: & manifesta negant.
Nec custodiri peccare uolentia possunt:
Infamant dominos: diripiuntq; domos.
Viuam igitur castus: quod si natura negabit:
Necte maritali tu mea colla iugo.

Ad eundem

Ad uomitum redii: me ruri ancilla moratur:
Non ita uisa mihi turpis: ut illa prior.
Tradita nec nobis opera lenonis auari:
Ducta: sed a famulo nuper ab urbe meo.
Cum furti: atq; fugæ fuero securus ab ipsa:
Patrue continuo reddar in urbe tibi.

Ad eundem.

Rura Duresani tua me comitante petentem
Patrue te sonipes uexit ab urbe meus.
Isq; uidebatur mihi te sessore superbus:
Nam memini: totam saltibus ire uiam.
Idem terga rudi suppostus obesa colono
Hic stetit: ut circi puluere uictus equus.

De Ricardo

Et puer est & uir: teneraq; uxore Ricardus
Leuior: hic anceps mentula multa foret.

Ad Bernardinum picentem.

Esse uidebaris mihi Bernardine poeta
Egregius tantum: consilioq; bonus.
Lux hesterna tuam mihi uim patefecit in illa:
Quæ tibi cum domina pugna niualis erat.
Iactata niue terribilis certusq; fuisti:
Seu manibus premeres excuteresq; pilas:
Siue fatiscentem iaceres hinc inde farinam:
Ad quascumq; uices Herculis instar eras.
Macte noua mō laude simul plaudamus amori:
Qui tibi certamen uincere tale dedit.

Ad d. B. perronium ducis præceptorem.

Nicoleos noster tua dulcis imago Petroni
Ingenio referens: & bonitate patrem.
Esse mihi dixit donatum munere pulchro

A duce te nostro: discipuloq; tuo.
Ne ualeam: si non tua me noua commoda tangũt
Debentem pro te Bartholamææ duci.
Quicquid id est doni (neq; enĩ scio) sit licet igẽs:
Exiguum meritis arbitror esse tuis.
De Io. Melcio & filio.
Melcius ille senex hilaris dilectus ab omni
Ordine: cui similis filius unus erat:
Vt sibi consuleret uir circumspectus: & illi:
Quæstor ait: munus tu gere nate meum.
Ipse gubernabo censum: paruosq; nepotes:
Heu ratio fatum uincere nulla potest.
Successit nato genitor: cum filius hæres
Ordine naturæ debeat esse patris.
Ad Io. Thomam. Platum patruum.
Quod struis assidue cameratũ & pensile quicq̃
Vrbis amans in ea quam colis ipse domo:
Aemulor ingenti studio: sed uiribus impar:
Quantum rana boui: patrue musca grui.
Effodio ruri piscinam: quattuor ulnas
Quanta sit: ut noris: semicauata patet.
Tempus in hac tero: ne ciuilibus inserat armis:
Quæ detestaris patrue: solq; fugit.
De patria inquieta.
Semper erunt causæ: quibus urbe carere uelimus:
Deserui paphiæ nuper ob illecebras.
Ecce reuertentem me sediciosa retorsit:
Scindier in partes cœpit inepta duas.
Nunc mihi ciuilis discordia displicet: odi
Lasciuam nimium terribilemq; nimis.
Malo tamen ueneris repetatq; cupidinis artes:
Quam furere incipiat clade superba sua.
De Se
Optaui profugus patrios habitare penates:
Nunc odio reduci sunt mihi pene lares.
Viuere nescieram populi sine plausibus olim
In domibus regum liminibusq; frequens.
Nunc in agris ultro nihil ambitionis habentem
Quam Curius uitam consul agebat ago.
Tempora mutantur: mores mutantur & ipsi:
Philosophum casus me peperere mei.
Ad Laurentium Mozanicum
Accipe laurenti reliquos Mozanice libros
Codicis egregii: qui mihi carus erat.
Nec tibi uilis erit: licet illi desit amictus:
Vota moraretur ne tua: nudus abit.
Auctor opus decorat: lege nostri scripta Philelfi:
Ne semper ueteres quos imitere legas.
Et mea donantis commendat gratia munus:
Iure tuo poscas cætera nostra licet.
Haud aliter mea namq; tibi substantia seruit
Ac mihi: uirtutes ut meruere tuæ.

Ad Theodorum Platũ fratẽ iuris cons.

Iam pridem patriis ago uitam frater in agris:
Aulicus a puero qui tria lustra fui.
Quæ mihi dura fuit: leuis assuetudine uita est:
Et me secessus: solaq; rura iuuant.
Libertate fruor: libris oblector: & hortis:
Contentusq; meo nomine uiuo mihi.
Huic animo tu sæpe meo: sed nescius obstas:
Philosophoq; noces officiose nouo.
Qui me crebra uocas ad prandia frater in urbem
Delitiisq; tenes o Theodore tuis.
Vt monacho lusus interdicuntur: & obsunt:
Sic urbana mihi gaudia sæpe nocent.

Ad Io. Thomã Platum patruum.

Ne ueniam retinent oculi me flentis amicæ:
Tempus agi secum quæ geniale rogat.
Se satis esse prius contemptam narrat acerbe:
Et sibi quæ sine me uita molesta fuit.
Nescio quid crudele nimis subitumq; minatur:
Si delecta semel destituatur adhuc.
Pronus ad omne malũ muliebris sexus amore ẽ:
Puniturq; sua fœmina sæpe manu.
Colchidos exemplum: factum me terret Elisæ:
Patrue nulla meo crimine Phillis erit.

De Cella sua

Romanos ueteres imitantis cella Platini
Militiæ seruit muneribusq; togæ.
Hic libros: hic arma uides: ut tempora poscunt:
Alterutrum tractat: non in utroq; malus.

Ad Nicodemum Pontremulensem.

Nicodeme tuus trahitur collega boete
Tardior: archadio tu magis igne celer.
Aut socium disiunge tibi: ne fiat eclypsis:
Aut coniunctus ei lumine cede tuo.

Ad Franciscum Buzacarinum

Salue Antenoridũ noua lux: ego sũ quoq; saluus
In patria tandem Buzacarine mea.
Quæ fortuna domi mea sit: tibi nuncius edet
Hic patauinus: erat qui meus ante puer.
Accipe præterea uates a milite carmen
Indissoluendæ pignus amicitiæ.

Ad Io. Palladinum.

Siue sit hæc: ut aues qualea & querquedula: mitæ
Dicta suo nomen efficiente sono.
Siue Cothurnicem latio sermone Ioannes:
Ortyga seu græce dicis: amica gulæ est.
Ne tamen hanc credas tantum seruire palato:
Ad stomachum quamuis ægra sit ipsa: facit.

Ad eundem

Hanc etiam uolucrem comedas impune licebit:
Vtilis est ægro: nobiliumq; cibus.
Et multum calida est: & multum conuenit aluo:

Iure fouet stomachum:sed mage tosta sapit.
Graiaq; uox perdix seruit pro uoce latina.
O utinam morbum perdat amice tuum.

De Raudensi Senatore.

Vatibus has aedes:& amicis ista coemit
Iugera Raudensis:nec sibi solus habet.

Ad Angelum Biragum

Quod Birage meas inter tua seria nugas
Et legis:& laudas:debeo iure tibi.
Ne ualeam:si non isto delector honore:
Meq; iuuant nugae si placuere meae.

Ad librum suum de eodem

Nullum tu potius petas amicum:
Quam qui te petiit liber Biragum:
Iuris qui sophiam tenet bis omnem.
Inter praecipuos fori patronos.
Fratres ille tuos legens probauit
Nec te despiciet puto uir aequus.

Ad Hubertiuum Clericum crescentinatē

Hubertine domum regio me tusca remisit
Aere leuem certe:forsan honore grauem.
Sed redii saluus:quo tu laetabere mecum:
Quod superest:opto te uelut ante frui.
Me pia musa iuuat positis horrentibus armis:
Et recreor docti qualis es ore uiri.

Ad Laurentium Mozanicum

Dum mihi de tusco reduci Mozanice bello
Res mea lustratur parua relicta domi:
Serica maerentem proprio quod honore careret:
Obtulit haec se se uirgo crumena mihi
Abdita:quod nunq̄ nummis imbuta fuisset:
Nec speraret apud me sibi quaesta locum.
Gauisa est:ad te cum dixi munus ituram:
Iret ut extemplo uisa mouere preces.
Nobile marsupium:duoq; abstergentia nares
Accipe Laurenti pignora nostra libens.

Ad Anastasium Platū fratē iuris Cons.

Noster ut est iudex humero pendente sinistro:
Sic animo pendet:iudicioq; suo.
Quam timeo causae communi frater ab illo:
Nil loquitur rectus:nil quoq; rectus agit

Ad eundem

Pulchra sit ī pulchro mēs corpe philosophus uīt;
In compage mala uult animam esse malam:
Sentit Aristoteles igitur de iudice mecum:
Siue luit uitium siue parentis habet.
Sed quid honoratum cito testem : nonne periclū
Fecimus: hic animum sic habet:ac humerum.

Ad Raudensem senatorem

Me Puteolani tenuit praesentia uatis:
Quem scio conuiuam laetor:& esse tuum.
Ne facerem uersus iterum de lite iocosa:

Qui tibi tot lusus: totq; fuere sales.
Gaudeo multum equidem: si te mea musa remisit:
Teq; probo: uitam quod sapienter agas.
Curia cum totum per seria te premat annum
Viuis Alexander: ius tibi quando tui est.
Nec te mimus habet: nec scurra: nec histrio: nec te
Scorta iuuant: nec res ulla pudica parum.
Sed clarum mensis adhibes uir Laute poetam:
Qui tibi maiorum fortia facta refert.

De Turdo patrui

Ille meo Turdus patruo carissimus olim
Ludus & uxoris delitiaeq; domus:
Aemulus humanae uocis qui semper amaena
Implebat totam garrulitate domum
Occidit ore canum: domini dum peruolat aedes
Ad caueam solitus sponte redire suam.
Aedibus in totis indicta silentia credas:
Vicinus placidam quisq; requirit auem.
Flere uetat dominum grauitas: at maior in aegro
Pectore sentitur corde premente dolor.

Ad Anastasium fratrē iuris Consultum.

Illa diu uexata malis Prudentia uitam
Frater agit mecum: solaq; rura colit.
Huic ego do noctes: studiis accomodo soles:
Sic mihi lux & nox utraq; dulcis eunt.
O qualem foecunda dabit Prudentia partum
Vatem aliquem pariet: Philosophumue mihi.

Ad eundem de eadem

Quattuor impensa Prudentia nostra caponum
Frater agit grates iure leuata tibi.
Furfure uel milio saturari posse negabat:
Exonerata mihi debet: & illa tibi.
Tu comedas illos: ut non comedaris ab illis:
Nulla uolucris edax dicitur esse magis.

Ad eundem de eadem

Vtile discrimen fuit hic modo frater apud me:
Iure mihi magno quod potuisset emi.
Scis ut abundabat gracilis Prudentia naso:
Te culpante: mihi uisa uenusta minus.
Non erat humana uicium moderabile cura:
Cui subito casus repperit ipse modum.
Crinales quaerebat acus Prudentia in arca
Egressura domo iam redimita comas:
Quis ita continuo caput extulit illa repertis:
Fecerit ut nasum tegmine laesa breuem.
Quem castigatum ne carpas amplius oro:
Cernere miraclum: si cupis: ipse ueni.

Ad eundem de eadem

Nostra tibi plenam Prudentia lacte coacto
Fiscellam mittit hanc studiosa tui.
Illa (nec inuideo) tibi lactis edulia donat:
Donat aqua locium me redolente sua.

Ad Io. Stephanum Cottam

Curia collegam: conuictus & aula Sodalem
Te mihi iucundum Cotta dedere diu.
Mutauit fera sors amborum munus & aulam:
Pristinus inter nos ille remansit amor.
O quam te ueterem socium reducemq; uidere
Gaudeo: cui nitidæ gratia tanta lyræ est.
Carmina diuinum tua parthenopea Maronem:
Visaq; Nasonem sunt redolere mihi.
Ede tuum carmen: nostra quod in urbe legatur:
Vt legitur Romæ: sisq; poeta domi.

Ad eundem

Cum Trãchedino nos Antiquarius ornat
Laudibus eximiis egregiaq; lyra:
Insubres te Cotta uocant: Griffumq; poetas:
Me quoq; Crystalis inseruere uitrum.

Ad Nicolaum Seraticum

Vrbs repetenda mihi mox est: Seratice causam
Accipe: iure meas possidet alter opes.
Marchio Cumneæ uallis: dominusq; baratri
Me procul a domibus quas habet ille: tenet.
Terribilis uisu: uomit atrum quippe cruorem:
Et nimium tactu noxius ille suo est.
Moxq; lacessitus feralior aspide sæui
Non impune uiri: tæla nec ipsa cient
Vincat: ut inueni linquam mea regna tenentem:

Rus habeat nostrum deliciasq; meas.
Dic mihi non est hæc prudentia cedere pesti?
I: nunc audacem me cupidumq; uoca.

Ad Raudensem

Vina tuus conuiua bibo: cratera ministris
Reddo: capis munus tu pateramq; meam.

Ad Franciscum tranchedinum.

Quam mihi laudasti Francisce iocatus amicam
Carminibus nequeo non adamare tuis.
Chara mihi fateor fuerat Prudentia per se:
Charior hec cœpit laudibus esse tuis.
Rursus eam tua musa canat: Sapientia fiet:
Et pariet quicquid iusseris illa mihi.

Ad Io. Stephanum Cottam

Dum coleres urbem Romã: mihi rura placebãt:
Et potui domibus præposuisse casas:
Nunc amo plus urbẽ: iuuat hanc inuisere crebro
Vt te Cotta fruar: carminibusq; tuis.

Ad Io. Baptistam Bentiuolum

Quam sibi capta manu Rex oppida sæpius ore
A Cynea solitus dicere Pyrrhus erat.
Tu Cyneas alter: populos in bella furentes
Alloquio mulces: consociasq; tuo.
Muneris est Baptista tui pax optima rerum:
Quam serere in tota interis Ausonia.
Italiamq; tuo concordem reddere Regi

Salue Regis honos: Italiæq; pater.

Ad Alphōsum Aragoniū Ducē Calabriæ

Non Itala uirtute iacet per uulnera Turcus:
Quæ (si uera licet dicere) nulla fuit.
Sed deus est ultus sese nomenq; latinum:
Et Maumetheum sustulit ipse ducem.
Turcus & ille fuit captus: qui cœpit hydruntem:
Quiq; tuum Iuli conscidit ense caput.
Vtere fortuna Calabrum Dux: impiger esto:
Nocte dieq; tuus miles Hydrunta premat.
Vincitur instando uictis: hostemq; sequendo:
Deniq; res æquas adiuuat ipse Deus.

Ad Io. Placētinū sacerdotē cognomēto græcū.

Si nostris studiis clarus graiisq; sacerdos
Omne quibus tempus dat pariterq; sacris:
Non uidet Italiam bello maio e frementem:
Quam fuerit tuscum: nuper & Heluecium:
Parco sacerdoti: si dixerit alter: in illum
Inuehar: & dicam morio quid loqueris:
Turchus in Italia est: clausum tu scribere ianum
Ausus es: & nobis ocia dicis erunt.
Parthenopes utinam Rex de Mauhmete triūphet
Marte suo tantum: nostra nec arma petat.
Auxiliis esto sine nostris illa gerantur
Prælia: segne domi non ego tempus agam.
Aemulor (ut scribis) priscorum gesta quiritum:

Martis: & Aonidum numina iuncta colo.
Libertate fruor scribo: cano: lectito ruri:
Si tecum fiant: utiliora mihi.

Ad Robertum Sanseuerinatem

Tot partos uirtute tua ductuq; triumphos
Circum fama tulit: gloria tanta tua est:
Vt sis Italiæ spes una Roberte salutis:
Tempore quo turcis esse rapina timet:
Te rogat assiduis ut se tueare tabellis
Rex siculus: regnum te petit omne suum.
Te Veneti petiere ducem bis terq; repulsi:
Te modo sollicitant condicione noua.
Tu quando auxilium Regi debetur amico:
Sponte recepisti corpore ferre tuo:
Sed te posse negat custode carere senatus
Imperii nostri: nec sinit ire. sapit.

Ad eundem

Quæ fuit inuicti uirtus & quanta Camilli
Gloria militiæ: tanta Roberte tua est.
Italiæ cunctæ par unus in arma fuisti:
Nec solidam pacem te nisi dante tulit.
Et premis: & releuas Italam fortissime gentem:
Ne Mars intereat Martis alumne caues.

Ad Gasparem Roberti. F.

Gaspar in arma tuum semper comitate parentem
A puero: quanta Scipio laude suum.

Altera dextra tui patris armipotentis in hostem:
Gessisti patrius maxima bella comes:
De uirtute tua loquitur:quicunq; Robertum
Nominat. hoc omni nomen in ore sonat.
Agmina profligas hostilia:qualis Achilles
Formidatus eques:terribilisq; pedes.
Te pugnans acies stupet utraq; bella gerentem:
Semper Idumæus te comitatur honos.
Ad Guidotum Mazentā clarum phisicū
O medice Illustris nostræq; salutifer urbi:
Pellere morborum qui genus omne uales:
Fac cito Ctibellum nostrum Guidote ualentem:
Te pia cum Phoebo calliopea rogat.
Hoc ipso incolumi pariter debebimus omnes:
Quos hominis uirtus:& proba uita iuuat:
Ipse uir egregius(mihi crede)salute recepta
Immortale tibi nomen habere dabit.
Ipse fideiussor sum:noti sponsor amici:
Sum quoq; soluendo:sitq; necesse precor.
Ad Ambrosium Rosatū Ducalē Phisicum
O uir amicorum qui res & corpora curas:
Seruatus merito quem Ludouicus amat.
Quæ fuit Augusto sanato gloria Musæ:
Cui statuam posuit Roma:Rosate tibi est.
Ad Principem Ludouicum
Ocia si qua mihi princeps Ludouice darentur,
Fabula qui uafri sumq; rapina fori.
Rite deo canerem superisq; merentibus hymnos:
Auxilium uitæ qui tribuere tuæ.
Quis putet hoc regnū saluū nisi te quoq; saluo?
Tu seruas alios:te Ludouice Deus.
Ad Philippū Archintum iuris Consultū.
Non possum non te mirari Archinte uacantem
Legibus in medio carminibusq; foro
E est opæ precium præsente cliente frequenti
Cernere pegaseum te recitare melos.
Atq; meos audire modos:& amare uideri:
Talibus ornatur patria nostra uiris.
Ad Io. Iacobum Balsamum iuris Cōsultū.
Balsame qui redoles in tota balsama uita:
Integer in questu qui potes esse fori:
Nobile cognomen meritis ingentibus imples:
Quod tibi gentiles forte tulere tui.
Sunt sibi uirtutes:ut olentia balsama raræ:
Sunt bona Iudeæ nobiliora bonis.
Cultor es antiqui iuris:seruator & æqui:
Teq; nihil recti de statione mouet.
Cana fides:hilaris pudor:enucleatio legum:
Ingenium præstans:eximiusq; lepos:
Et graue consilium:uox officiosa forensis:
Deniq; mens nullis ægra libidinibus:
Non modo natura quæ te censentur in uno:

Contulit immodicus sed bona tanta labor:
Effecere tui speciem cognominis in te
Balsame (crede mihi) balsama totus oles.
Noster olebit idem musarum dulcis alumnus
Te duce: cui patruus Balsame es: immo pater.

Ad Io. Antonium Balsamum.

Quod me rettulerim penitus Mauorte relicto
Ad citharam Phoebi: pieridumq; choros:
Balsame gratāris mihi: lætor & ipse: nec unq̃
Ocia me tantum: nec tetigere lyræ.
Quā iuuat Italia bellis ardente quietam
Ducere me uitam nec sine laude domi.
Sed neq; me belli discrimina plurima terrent:
Nec uarii casus: assiduusq; labor.
Sum quibus assuetus longoq; exercitus usu:
A duce Francisco missus in arma puer.
Vt steriles agros inopes odere coloni:
Arsq; recusatur: quæ nihil æris habet:
Sic ego belligeras acies: & castra reliqui:
Vnde nihil tuleram præter inane decus.
Expertæ totiens nolo dare semen arenæ:
Me potius musis inuigilare iuuat.
Da mihi militiam pinguem: clangore tubarum
Protinus audito rursus in arma ferar.
Interea uacuus doctorum scripta reuoluam:
Hortor idem facias: id quod amice facis.

Exemplum uirtutis habes ante ora domiq;:
Iugiter in patruo lumina fige tuo.
Illius obserues hominis uestigia semper:
Si uis esse domus altera fama tuæ.

Se facit ipse fortis adhuc emeritum

Arma mihi a prima lanugine cœpta moueri
Armorum dederat quæ mihi ferre pater:
Dulces exuuiæ mea quondam maxima cura
Militiæ testes arma ualete meæ:
Vos ego nonnullos colui foeliciter annos
Sub Duce Francisco: cuius alumnus eram.
Edebat pugnas equitum: tyronibus illic
Ipse dabat uires Dux animosq; suis.
Hastarum certamen erat solemne quotannis:
Huic aderat forti conspiciendus equo.
Si quemq̃ stricta petiissem feruidus hasta:
Stricta meo risum mouerat hasta duci.
Si decertabam claua: Ducis ora tenebam:
Gratior armatus: gratus inermis eram.
Pene mihi puero dedit ampla negocia: meq;
Gallica cum nato misit in arma suo.
Illi me rebus magnis inducere sensim
Mens erat: ut puero dixerat ipse mihi.
Inuidit fortuna meis successibus: & me
Perdidit illius principis atra dies.
Cætera militiæ perierunt tempora nostræ:

Sub uariis ducibus quæ mihi uana fuit.

Ad Vincentium Amidanum pro Comi
te Gaspare uicomercato iāpridē ī Gallia.

Sæpe tibi gallos Amidane fuisse molestos
In patria nostra quæstus es ipse mihi.
Quod te non sinerent altum dormire molesta
Voce sua somnos excutiente tuos.
Quantum me uigilare putas in partibus istis?
Cogor ubi Gallos nocte dieq; pati.
Vndiq; sunt Galli:feror obuius undiq; Gallis:
Me Galli cantus terret ubiq; frequens.
Dira canunt omnes hic nobis omnia Galli
Dux horum Gallus prospera cuncta canit.
Sed non ille tamen tot contra sufficit unus:
Vt simus redeues ora Amidane deum.

Ad Angelum Biragum iuris Conf.

Perfricui frontem uir præstantissime tecum:
Qui tibi do nugas Angele sæpe meas:
Criminis hoc in me facis Angele : qui petis illas:
Accipe:quæ uacua carmina mente legas.

De Alexina & Rampo coniugibus

Rampus Alexinam uiduam iuuenemq; reliquit:
Cui nimis ille senex ac odiosus erat.
Nunc amat illa uirum:nunc nocte:dieq; requirit:
Et sibi iucundum nil putat absq; uiro:

Ad patruum

Esse Zenazenus q̄ Rex ego Patrue mallem:
Concio plus huius q̄ diadema potest.

Ad Baptistam Castilioneū iuris Cōs. Sen.

Hæres ingenii patrii Baptista Senator
Qui bene perpetuum fers habuisse patrem.
Si foret hesperidum mihi diues in arbore fructus:
Aurea misissem:pluraq; poma tibi.

Ad Rugulerium Comitem

Tu quoq; Rugleri qui ius:heliconaq; nostrum
Illius interpres huius alumne colis:
A puero dilecte mihi:iuuenilibus annis
Culte:tuo nugas accipe iure meas.
Quas precor ut uideas absente cliente molesto:
Has lege cum uacuum te tuus hortus habet.

d IAo. Andream Terzagum. iuris Conf.

Salue mu sa fori ciuilis:& enthea sacri:
Fundit ubi leges os in utroq; tuum.
Carminibus Terzage tuis quæ digna reponam
Carmina:tot laudes quæ tribuere mihi.
Iurisconsulti quas a grauitate profectas
Non ausim scriptas esse putare ioco.
Sed quia non merui:nō sum quoq; credulus illis:
Et suus hunc in me dico fefellit amor.
Me iuuere tamen uersus ut cunq; dedisti:
Tam bene de musa qui cecinere mea.
Carmina pulchra uetor tua cōmendare uicissim:

Reddere ne uidear: quæ tribuere meis.
Quod superest inter iuris: Citharæq; peritos
Te colo: tu tantum me q; amaris ama.

Ad Angelum Politianum.

Angele cui puero facundia contigit omnis:
Qui pariter lingua clarus utraq; uales:
Nulla tibi soluens istinc monumenta reliqui:
Nec poteras absens ipse dedisse mihi.
Deniq; non illum potui repetisse libellum:
Seruandum dederam quem tibi castra petens.
Vt suus hunc per agat librarius: inde remittas:
Inq; meas cures huc remeare manus.
Annue si domini communis honore moueris:
Cui me commenda: Nicoleoq; meo.

Ad Antonium Taxinum

Nil habet ista tuæ foelix fortuna iuuentæ:
Quod magis admirer: suspiciamq; magis:
Quam bona quæ tua sunt Antoni: q̄ tibi nullus
Eripiet casus: mobilitasue rotæ
Egregias animi dotes: & corporis artes:
Hunc tibi sublimem quæ peperere locum.
Pluris ego has in te semper q̄ cætera feci:
Et facio: rebus fido nil inde tuis.
Maxima uirtutum tamen est hæc una tuarum:
Tempora quod studiis ingeniumq; locas.

Ad Lazarum Malespinam

Lazare quæ uirtus profugo mihi iunxit in urbe:
Quam phaetontei uerberat unda padi:
O ego quam ueterem: te cerno libenter amicum
Ingenii quondam calcar opemq; mei.
Delphica te socio: cirrheaq; templa reuisi:
Grataq; pieridum flumina sæpe bibi.
Extorris si te colui: quid Lazare censes:
In patriis ubi te sedibus aspicio:

Ad Io. Thomam. Platum

Ingenio præstante tuo doctissime Thoma
Exuri poterat lerna: chimæra mori.
Non potes inuitis consortibus: ut cupis: undam
Deriuare tuos quæ populatur agros.

Ad eundem

Pasca ꝑpiquat: edi solet agnus ab uberere raptus:
Huius apud uerpos moris origo fuit.
Pasca sibi christus uoluit de more parari:
Discipulos agno pauit & ille suos.
Quorsum hæc: ut scires agnū me pasca sub ipm
Mittere non temere patrue rure tibi.

Ad Io. Cribellum

Ne ualeam: si non uolui Cribelle Ioannes
Te prope confectum uisere sæpe domi:
Angebarq; tuo (testor pia numina) morbo:
Quæ ueneror pro me: proq; salute tua.
De te communes ego percunctab ar amicos:

Interdum pueros chare Cribelle tuos.
Tristia nonnunq̃ fateor responsa dabantur:
Lætaq; nonnunq̃:deniq; sospes abis.
Gratulor o quantum:nunc accipe:cur adeundi:
Nulla mihi fuerit copia facta tui.
Tempore nos illo magnum discrimen habebat:
Forsitan audieras:insimulatus eram
Carminis in nomen Ludouici principis insons:
Nescio cuius adhuc tam mala lingua fuit.
Crimina purgaui:purgasti tu quoq; uentrem:
Sed pro te saluo debeo plura deo.

Di Ciccho damnato Capitis

Supplicium Cicchi spectatum currite ciues:
Currite:qui primas urbis habetis opes.
Ludibrium fortuna tuum terrorq; potentum
Publica mactatus uictima Cicchus erit.
Cicchus in Anguigera modo foelicissimus aula:
Omnis homo supplex unde petebat opem:
Ille necis:uitæq; potens:& principis instar:
Ille pater patriæ:Sforciadumq; fides:
Mecænas hodie præbebit colla securi
Carnificis fœdi:uinctus utramq; manum.
Fidere fallaci fortunæ nemo beatus
Audeat:horrescat:qui sapit alta nimis.
Admonuit Cicchus nullum debere secundis
Inflari:subitis casibus esse locum.

Soli deo fidendum.

Confidens homini miser est homo semper:at ille
Perpetuo fœlix:cui deus una fides.

Ad Borrinum Coll ũ primum prætorẽ

Præcessit Borrine tuos iam plurima fasces:
Sed non ulla magis iusta securis adhuc.
Dirigis examen libræ moderamine sancto:
Qualis Aristides:qualis uterq; Cato.
Nil crassus:uel croesus habet:q̃ codrus:& Irus
Plus tibi iustitia:quod placuisse queat.
Fabricio potius largiri q̃ tibi fas est:
Quatenus in portu sum puto nauta rudis.

Ad Angelum Saccum

Angele si nescis hominum res astra fouere,
Et premere:euentis admoneare meis.
Triste mihi sydus,ne consequar utile quicq̃:
Votaq; concipiam:quæ ferat aura dedit.
Plene bonis animi:quem dixti Sacce repertum:
Gaudia de libro uana fuere meo.
Et patrias ædes:& agros amisimus olim:
Nec doluit tantum mens mea(crede mihi).
Tu quoq; uir præstans periisse poema dicatum
Communi domino:damna tulisse puta.
Sed prohibet noster fortunæ cedere princeps
Me sibi fidentem:quem suus ornat amor.

Ad Nicolaum petronium.

Carneades libro responsa daturus acuti
Zenonis:uentrem diluit helebro.
Ast ego secessi:cessiq; laboribus urbis:
Vt tibi rescribam rure patriq; tuo.
Ne sæui in phebum phoebo dilecte petroni:
Nulla mora est:ad te Chare sodalis eo.
Linquere cogis agros:ut tecum uerser in arce:
Tam dulci reuocat me tua musa sono.

De Francisco Marchesio

Si quis erit nostro qui tempore præstet Vlyssem
Vsibus:& cauta sedulitate simul:
Publica si quis erit Cyneas:Nestorq; gerendo
Eloquio dulci:consilioq; graui:
Si quis Athlantiadæ similis qui uinciat urbes
Foedere:qui reges:concilietq; duces:
Franciscus ligurum splendor Marchesius hic est:
Omnia qui legit:uidit & omne solum.

Ad Musam ut adeat Io. F. posterulam:

I cito Posterulam pro me cessante saluta:
Excusaq; moras nomine musa meo:
Ne se desertum putet:a me tempore tristi:
Quo socios olim qui placuere cupit.
Quē nunq̄ tenuere domus:nec curia quondam:
Quum oculis aliquod sæpe uideret opus:
Resq; meas legeret nunc arcis muneris expers:
Et cui contingunt otia magna domi.

Heu non ipse leget:non hoc epigramma uidebit
Carminibus quis:ingenioq; uacet.
Mandabit placidis:& doctis auribus o sors
O Vulcane tuo crimine lucis eget.

Ad Io. Stephanum Cottam.

Nolo meum sine te quenq̄ prodire libellum
O studii calcar Cotta diserte mei.
Vt simul alterna uice posteritate fruamur:
Si modo posteritas carmina nostra leget.

Ad eundem

A patre donatum sed omissum insigne superbū
Redditur a nato Principe Cotta mihi.
Cui color albus inest:& Hyătinus:æquus uterq;
Concessusq; suis a duce rarus honos:
Idq; tibi notum quo tempore gessimus ambo:
O utinam fato candidiore feram.

Ad eundem

Illud agreste genus ciconū scelus ī caput ausum
Pene tuum ferro:Flagra:crucesq; manent.
Tu redeas ad nos quibus est tua cognita uirtus:
Et famulos istic Cotta relinque tuos.

Ad Io. Thomam Platum patruum.

Et pietas:& amor meus in te patrue cogunt:
Me fieri medicum si sinis ipse tuum.
Accipe quam genuit crocitante ciconia rostro
Enixa in nostro culmine nuper auem.

Plinius est auctor naturæ in codice:ferre
Hanc oculis ægris:si comedatur opem.
A uicio quouis illo quo uescitur anno:
Lumina gustanti tuta futura refert.
Tu cui cœperunt oculi lippire:medel a
Vtere nec timide munus edentis ædas.
Si tua plena domus sexus utriusq; ministris
Anseris in morem coxerit:anser erit.

Ad eundem.

Cũ nihil accipiã:nisi quæ modo dixerat Orpheus
De Maumethea expeditione mihi:
Ad ueteres qui me delectant uertor amicos:
Tempora ne dubius sollicitusq; teram.
Proderit in turcas etiam Strabonis ituro
Nobile cosmographi:si mihi constet opus.
Vt ratio armorum:sic est adhibenda locorum
A ducibus belli:militibusq; bonis.
Q uocirca Strabone tuo nunc utar oportet:
Ne rudis illorum patrue prorsus eam.

Ducale deponit insigne.

Fata coegerunt insigne bis atra duorum
Me patris:& nati deposuisse ducum:
Amplius ut gestem nulla ratione mouebor:
Non admittendum censeo triste decus.

De Constantia Ducis Isabellæ

Q uærit Aragoniam mors:& Mars perdere gẽtẽ:
Egregie casus fert Isabella suos.

Ad Laurentium Mozanicum

Gratulor:uxorem Mozanice te modo uictis:
Q ui tibi certabant obtinuisse procis.
Nobilis:& diues:formosa:pudica puella:
Q uas habuit dotes Icariotis habet.
Illa tamen nupsit non inferiora merenti:
Sit precor in uestro gratia:paxq; thoro.

De Rure Suo

Ex agris alacer redeo mage semper in urbem:
Corpus:& ingenium prædia uatis alunt.

Ad Franciscum Tranchedinum.

Tranchedine tuum iam desine flere parentem:
Viuit homo:clarum quem Libitina tulit.
Ille uir egregius bene cum mortalibus acta:
Perfruitur uita:perfruiturq; fide.
In loca iampridem non iuit amœna piorum
Sforciadæ comitum charior umbra duci.
Per nemus elysium cui nulla fidelior errat
Seu belli fuerit:siue ministra togæ.
Sforciadum genus heroum :gratumq; memorq;
Non putat extinctos ad sua dona suos.
Ornat enim cineres:& eorum nomine uiuos:
Q uorum uirtutes:& benefacta manent.
Tranchedine tuum domus extulit ista parentem
Fiscali impensa grande:nouumq; decus.

Perpaucis instar clari quod Roma triumphi
Duxit:& Agrippæ publicolæq; dedit.
Hoc adiit campos insignis honore beatos
Nicodemus ouans:hunccine flere potes:
Nec te tanta patris solatur gloria:cuius
Tota perillustris:uitaq;:morsq; fuit.
Tu quoq; non solum meritis Francisce paternis:
Sed uirtute tua niteris:atq; nites.
Tu bonus es uates:& scriba disertus in arce:
Nostrorumq; ducũ munus ad omne uales:
Ad Federicum Vrbini Ducem
Dux Federice tibi Ludouicus it obuius heros
Inclytus:Anguigerum crede uenire ducem.
Huius ad imperii Ludouicum occurrere fines
Est apud insubres Cæsare dignus honos.
Omnibus insubrium uotis ingentibus:omni
Expectate die protinus ipse ueni.
Ad eundem
Huc:ut eras pactus:quod non adueneris:& si
Te Mediolanum dux Federice uocat:
Consilio tribuunt omnes:animoq; uolenti
Res gerere in nostram remq;:decusq; tuum.
Rite facis:quibus auspiciis pugnaueris olim:
Qua uirtute soles:i noua bella gere.
Ad eundem
Bellica res olim iacuit corrupta per omnem

Italiam:turpi de grege miles erat.
Sutor:caupo:coquus:lanius:lenoq;:faberq;
Polluerant artis nobilis omne decus.
Te duce militiæ splendor Federice prioris
Redditur ingenuo milite castra nitent.
Plurimus insubris Plumæ cõtemptor:& umbræ
Patricius iuuenis nunc tua castra colit.
Discere militiam sub te generosa iuuentus
Ardet:& auspiciis æra merere tuis.
Ad Comitẽ Io.Bonromeum de morte filii.
Scimus ut aduersam:nec enim manet altera:semp
Fortunam tuleris subdiderisq; tibi:
Inuidiam citra scis te seruare potentem:
Magnifici nomen:& sapientis habes.
Nunc quod es in luctu parcarũ crimine:passim
Quæritur:ut nati tristia fata feras.
Lumina Ioannes in te conuertimus omnes
O Bonromææ gloria magna domus.
Nominis ut dixi quod habes illustre memento:
Neu titulos ulla pollue labe tuos.
Sed qui te cupio solari:mœreo tecum:
Debueram tota dicere cum patria.
Deflet mortem Mariæ sororis
O soror a nostro maiori prodita fratre
Et mala de nullo crimine passa tuo:
Fessa reliquisti miseri fastidia mundi:

Parcarum celeri rapta puella colo.
Quam colere in terris ab eadem dicta solebas
In supera Mariam nunc regione uides.

Ad Io. Luparium Bononiensem
prætura Mediolanẽsem functũ egregie

Prætor ut Insubrium bis:terq; Iacobe fuisti
Bis recte functus munere terq; tuo.
Sic amor es populi:sic designare senator:
A ducibus nostris:principibusq; piis.
Vnde profecturus linques nos :ut Cato Cyprũ :
Egregio ciui Flexina plaude tuo.

Ad Io. Galeaz Mli Ducem Sextum

Publica spes Auguste puer Dux Inclyte lætor
Quos alis inter eos aulicus esse tuus.
Et tua uersari penetralia glorior intra:
Estq; mihi nomen dulce:quod inde fero.
Dispeream: si non o maxime regule noster
Vnum de famulis me iuuat esse tuis.
Sed queror ætatis nimium discrimina longa:
Quæ tibi prima uenit:quæ mihi prona fugit.
Quanq̃ in te nihil est pueri nisi corpus:& ætas:
Ingenio princeps esse uidere senex.

Ad eundem

Assidue tenero dux Anguiger edis in æuo
Multa probe nobis ingenioq; tuo.
Multa facis grauiter:canumq; decentia Regem :

Teq; mouet patrii spiritus altus aui.
Vnde fides oritur nobis ex indole tanta:
Te fore:qui recte nos aliquando regas.

Ad Musam de eodem

O mea musa ducem cane:numẽ amabile nostrũ:
Semper ad illius nomina tende chelym.
Scilicet esse locus uirtuti cœpit in aula:
In tenero laudum principe feruet amor.
Delectosq; uiros:comites:morumq; magistros
Regulus his noster quos imitatur:habet.
Nuper honoratum tribuit mihi munus apud se:
Inq; sua uictum donat habere domo.
Diua ducem nostrum celebra pariterq; patronũ:
Si petis auctorem muneris:ipse fuit.

Ad eundem

Quod tibi uis fatear:si carmina pangere noui:
Accipe magnorum summe future ducum.
Aduena musarum:nec possum dicier hospes:
Quem tuus ob musam diuus amabat auus.
Hanc una colui semper cum fortibus armis:
Et puer:& iuuenis sub genitore tuo.
Officium faciam tibi militis:atq; poetæ:
Iam mihi materiam suggeris alme puer.
Sed tibi proludit gracili mea uoce thalia:
Nescio quod magnum quæ meditatur opus.

Ad eundem

Esse tuus Iani uetor aulicus ante Calendas:
Quod fero non ægre Dux ita quando iubes.
Interea tibi rura colam uenator:& auceps:
Ecce tibi uolucres utraq; uiua duæ
Vnde genus traxere:tenent a Phaside nomen:
Nunc habitant plures in regione tua.
Tu mea ne spernas munuscula maxime priceps:
Agricolæ Xerses dona minora tulit.
Ad Phoebū pro se hastis dimicaturo
Vt tuus hastarum uincat certamina Vates:
Phoebe sagittarum da Citharæq; potens:
Ad Nicolaum Petronium
Est quoq; doctorum socios ad Martis euntes:
Prælia sollicita non modo mente sequi.
Sed concurrentes manibus pedibusq; iuuare:
Scis mihi quam debes docte sodalis opem.
Ad Io.Galeazū Ma.Mediolāi ducē Sextū
Vt Citharā ferus Aeacides repetebat ab armis
Ducibus oblectans aspera bella modis:
Sic ego Thersites qui sum collatus Achilli:
Militis alternans edoq; uatis opus.
Qui mō summe ducū te martis ad arma uocaui:
Ad sacra nunc idem delphica rite uoco.
Vt gererem morē tibi quem Mars excitat: ausus
Hastifagum ludum sum celebrasse grauem.
Spectasti armatū specta quoq; mitis inermē:
Et faueas armis carminibusq; meis.
Ad Ludouicum Principem
In reliquis excelse tuum Ludouice parentem
Cum referas:& in hoc obsecro:redde mihi.
Obiurgans aliquem Dux optimus ille suorum:
Mox obiurgato munera pulchra dabat.
De Mauro
Illa neces ad busta Nini quæ sensit amantum
Arbor:& in fructu signa cruoris habet:
Olim me texit prope sicca:refloruit arbos
Omnibus ista suis:arida facta mihi.
Ad Io.Stefanum Cottam.
Et quis erit tandem Romam tibi finis eundi?
Cotta nimis patriæ perfuga sæpe tuæ.
Tanta ne romanis bona credis inesse puellis:
Spreueris:ut nostras:Sydeream q; tuam?
Ibis:& o utinam tuus ignis in urbe quirini
Sit cinis:ut redeas Cotta repente domum.
Ad Nicolaū Vicecomitē Corrigiæ dn̄m
Carmina de bellis & in ipsis edita castris
Accipe Corrigiæ gloria magna domus.
Adriaca immitis dum te custodia seruat:
Bella duo in Ruffos gessimus:& Venetos.
Vnum confecit Ludouicus Sfortia per se:
Alterius Calabrum uiuit in arma ducem.
Rebus ego intereram primi pro munere pili:

Tu lege de bello carmen utrunq; meum.
Ad quem debueram potius misisse legendum:
Te fecere suum Mars:& Apollo ducem.

Ad Io. Thomam Pla. patruum

Quod nō crediderā:tibi nunc affirmo: Robertū
Vno se niti præsidioq; suo.
Innumeri circum pedites:equitesq; sedemus:
Eripiet clausum forsitan acris hyems.
Nam male per brumam seruat custodia muros:
Nec bene tam gelido sub Ioue tendit eques.

Ad eundem de eodem

Fata Robertus habet Marii :nunc exulat hostis:
Qui ducis Anguigeri Dux:& amicus erat.
Exitus expectat Marianus in arma Robertum:
Militis:& uatis patrue munus ago.

De Famulo & utre.

Affectus grauiter dextro pede[castra Platinus
Præcipitis liquit pondere læsus equi.
Inde mouens:utrem socio famulumq; petenti
Commodat:assiduo fœtet uterq; mero.
Ergo duos utres licet ille rogauerit unum
Accepit:uini qui duo uasa tulit.

Ad Nicolaum Seraticum

Rem tibi significo de me Seratice gratam:
Scis ut erat lapsu pes mihi læsus equi:
Scis ut eum uaria studui sanare medela:
Curauere meum fœmina:uirq; pedem.
Nil opis inueni:spes me defecerat omnis:
Nec poteram iussus fortia castra sequi.
Moerebamq; domi me nullius esse ualoris:
Sola tripes animal spes erat esse mihi:
Quinquaginta mihi Terzagus ut inquit habebis
Aureolos dono:protinus eualui.

Ad Io. Tho. Pla. patruum

Guido Ruber non est ausus se credere muris
Patrue:nec plano:per iuga fecit iter.
Non expectato Ludouico uindice fugit
In ligures:equitum cum peditumq; manu.
Fugit & aduentu nostro perterritus una
Legatus Venetus:oppida clausa tenent.
Obsidione parat Fillinum cingere princeps:
Res alacer magnas qui ratione gerit.

Ad eundem

Patrue Fillinum quatiunt tormenta per horam
Quinq;:repugnantem difficilemq; locum.
Balistis etiam uariis obsessa premuntur
Moenia:procedit collibus obsidio.
Dux latere inclusos urget Ludouicus ab omni:
Nulla quies hosti nocte dieq; datur.
Non permittit adhuc ad muros prælia princeps:
Qui sibi non parcit:parcit in arma suis:
Quoue Capessamus pugnam leuiore periclo

Curat:ut æquetur uasta ruina solo.

Ad eundem.

Venimus ad turrim claram molemq; superbã:
Moenia sunt huius patrue mira loci.
Arx intus multo nitet hæc ut dicitur auro:
Et policletæa: phidiacaq; manu.
Non sine tormentis hac possumus arce potiri.
Quæ sibi confidit præsidioq; suo.
Hæc autem curat Triuulcius omnia ductor:
Mole leuans omni te Ludouice ducem.

Ad eundem

Clamat io miles:cui destinat arce recepta
Induperatoris patrue dona fauor.
De quacunq; subit me desperatio præda:
O Patrue aduerso mouimus arma deo.
Sed breuiter turrim claram tibi nuncio captam:
Castraq; basilicam mox aditura nouam.
Vtq; philoctetes desettus ab agmine fertur
Saucius in solis ingemuisse locis:
Sic & nos fuimus duce castra mouente relicti
In lue castrorum suspicione luis.
Quadraginta dies inter contagia iussi
Ducere:uiginti uertimus ante solum.

Ad eundem

Iam desperanti mihi te responsa daturum
Bis tua doct e dedit patrue musa uices.

Non rudis est omnis miles:tua sæpe requirit
Carmina Centurio:scribaq; sæpe legit.
Sed tibi de rebus ut pergam scribere nostris:
Induci nequeo:mœsta thalia mea est.
Ob male diuisam Fillini mœreo prædam:
A duce neglectus preteritusq; meo.
Ennius huic essem uel eo plus utilis armis:
Scipiades maior si foret ille mihi.
Dulce lyra non est inuita ludere carmen:
Non extorquetur musa:sed elicitur.

Ad Nicolaum Vicecomitem Corrigiæ. D.

O uir magnifice & præstans armisq; togaq;:
Salue Corrigiæ maxime gentis honos.
Si mea legisti Parmensis carmina belli:
Si non omnino displicuere tibi:
De ueneto quoq; pauca legas epigrãmata bello:
Hæc orta in castris se uelut illa probant.

Ad Io. Galeaz Ma. Ducẽ Mľi Sextum.

Fert tua signa tuus socer Illustrisime Princeps
Per medios hostes uictor ubiq; tuos.
Inuasit subito uenetos:ut Scipio pœnos:
Ecce ducem reuocant Hannibalemq; suum.
Obuius It calaber Dux ac Triuulcius Heros:
Ardentes ambo conseruisse manum.

Ad Io. Thomam Pla. patruum

Arma ducem Calabrum ne tãtum patrue credas

Exercere: colit tempus utrunq; simul.
In castris est comis ubi res postulat: idem
Terribilis bello: maximus atq; toga.
Orta duci Calabrũ lis est cum principe Manthus
Nuper honestatis: plenaq; amiciciæ.
Se prior Alphonsus proprio priuauit honore:
Ius & ei Primum cessit in arma locum.
Marchio respondit: mandata capessere ueni:
Non dare: durat adhuc pugna modesta ducũ.
Ad eundem
Cepimus & Gaidum: Gaidi quoq; Patrue nobis
Deditio facta est obsidione graui.
Noster & augescit exercitus: o ueterane
Vidisti nunq̃ tot coiisse manus:
Fortunam tentare timet: ceditq; Robertus:
Esse putes alium dissimilemq; sui.
Ad eundem
In Veronensem mi patrue uenimus agrum:
Res tibi dux Calabrum: Sforiciadesq; gerũt.
Cum paucis abiit iamdudum Marchio: regni
Vt nos accipiat per loca tuta sui.
Agmina comisit equiti bene credita Sicco:
Nostraq; frumento Mantua castra iuuat.
Venit & Illustris multo cum milite Princeps
Bẽtiuolus: prope nos castra Robertus habet.
Versus Francisci Diedi patricii
ueneti in porta Asulana
Asula sum muris circundata pulchra duobus:
Asula præstanti splendida facta fide:
Desine dux belli de me sperare triumphum:
Frãge opus hoc: hominũ pectora murus erũt.
Ad Asulam responsio Platini.
Asula clausisti portas: aperire coegit
Dux calabrum: murus cessit uterq; tuus.
Acceptura iugum fueras ceruicibus ultro:
Si bene nouisses fulmen in arma ducis.
Ad Alphonsum calabriæ ducem
confederationis imperatorem.
Sæpe dolor uentris statu incipiente nouembri
Frigore contactum me cruciare solet.
Veste domi corpus calida curare solebam:
Horridus in castris induor usq; sago.
Tormina grande malum: sed maius inanis egẽti
Est: ubi succurrit nemo crumena uiro.
Hic ẽt me morbus habet: mihi maxime princeps
Consule: qui toti consulis Italiæ.
Aut mihi mitte bonam uestem: uel protinus oro
Aes: ut emam: saltem da remeare domum.
Ad Io. Pontanum.
Docti seruabunt doctos. imitabile dictum:
Qui dixit sapiens: innuit ille tibi
Vt Pontane meis doctissime rebus adesses.
Ergo tuum pro me quæso precare ducem.

Vt faciat missum me parua posce tabella:
Ne mihi sit fraudi fac precor ire domum.
Non ego militiæ fugio Pontane laborem:
Impensas nimias:æraq; parua queror.
Ad eundem
Quando frui dabitur mihi te Pontane quieto?
Offendor curis magne poeta tuis.
Ad Io. Thomam Platum patruum
Legit & obstupuit Sfondrati carmina nostri
Plurimus hic ductor:centurioq; frequens.
Scribarumq; cohors:Pontanus & ipse probauit:
Atq; suo dixit perplacuisse duci:
Cuius & egregie:& uere de laudibus ambo
Dixistis:nec habet iam mea musa locum.
Ad Carolũ Oliuũ Planimelleti dominũ.
Carole quem celebri fama cognouimus olim.
Cognite militia per latiumq; toga:
Expectare iubes ad te me scribere uersus:
Cum posita Pallas ægide mitis erit.
Conuenit inter nos.in castris arma colemus:
Dulcia confecto carmina Marte domi.
Ad eundem
Non agis in castris aut amplius agmen in hostẽ:
Carole militiæ pieridumq; decus:
Nunc urbana tibi sunt ocia:nunc ad inermem
Te mea mittuntur carmina:nunquid amas?

Ad Io. Thomam Platum patruum.
Tu qui sæpe iubes:ut in urbe aut patrue ruri
Ocia luxato demus amica pedi:
Non inuente domi:totamq; petite per urbem
Ocia luxato non sinis esse pedi.
Ad Ludouicum Agnellum Protonotariũ
Si tranquilla foret mecum mea musa:profecto
Scripsissem laudes iam Ludouice tuas.
Sollicitus nemo recte cantabit:ab ore
Fellito spuitur mel male:uulgus ait.
Me fortuna domi premit(ut scis)optime præsul.
Res Agnelle tuam nostra requirit opem.
Me releuare tuum quondam fuit atq; tuorum:
Adiuuit profugum me tua sæpe domus.
Vrbs utinam tales agnos Insubris haberet:
Et uestri generis copia magna foret.
Ad eundem
Ni loculos istos acceperis integer agne:
Spernere te præsul pignora nostra querar.
Si dicam uacuos tibi me donare locellos:
Mentiar:intus habent cor Ludouice meum.
De puteo arcis tricianæ & de
Vercellino Vicecomite eius auctore
Arx olim Tricii puteo præclara carebat:
Quem bibit:ille suus non erat ante latex:
Vercellinus Eques:qui presidet Anguiger arci

Viſcera telluris fodit:& hauſit aquas.
Ille uir egregius lymphas a manibus emit:
Et puteum grandi condidit ære ſuo.

Ad Baptiſtam Vicecomitem

Paulus ut Aemilius Baptiſta reſiſte dolori
In reliquis actis Aemiliane tuis.
Funera natorum bene perfer acerba duorum:
Quos tibi iucundos abſtulit una dies.
Abſtulit una dies binos & ſeptima Paulo
Indolis egregiæ:fortiter ille tulit.
Te ſapientem olim fortuna ſecunda probauit:
Nunc aduerſa caue:ne ſecus eſſe probet.

Ad eundem

Vt te colligeres a luctu:rura petiſti
Romulidum ritu:quos imitaris Eques.
Seceſſit quotiens Auguſtus morte ſuorum:
Omnia Romana tu grauitate facis.
s ubiuis: habitat paſſim prudentia tecum:
Hæc facit:ut iuuenis iam uideare ſenex.

Ad Gaſparem Vicecomitem

Siue memor Chari:ſeu ſis oblitus amici
Ruricolæ:qui te pectore ſemper habet:
Te non immerito pro me mea muſa reuiſit:
Et rogat:ut nolis immemor eſſe mei.
Cumq; Dionæo dederis ſua tempora ludo:
Flos equitum Gaſpar carmina noſtra legas.

Ad eundem

Ordo ſenatorum q̃ tu magis ordine:per te
Cenſetur:rarum nunc habet ille decus.

Ad eundem

Legimus atq; tuos perlegimus octo libellos:
De Paulo & Daria nobile Gaſpar opus.
Vnde tibi clarum peperiſti in ſæcula nomen:
Quale per alterius ſcripta prioris habes.
Eſt fœcunda tibi facundaq; muſa profecto:
Ingenio melius nil reor eſſe tuo.

Ad Guidotũ Mazentã clarum phyſicum

Signa mei morbi Guidote ſalutifer ad te
Quod foemella tulit:teq; rogauit opem:
Cũ mihi ſint famuli:quos mitto freq̃nter ad urbẽ:
Non intellecta re ſtupuiſſe potes.
Scribere nunc poſſum cauſam tibi febre leuatus
Namq; tua celeri ſum prope ſanus ope.
Nuncia noſtra tibi Prudentia forſitan ipſo
Nomine cognoſci non rudis eſſe poteſt.
Illa meæ uitæ curam non crederet ulli
De noſtris alii:meq; domumq; regit.
Penſaret pro luce mea ſua fata libenter:
Inſtar & Admeti conuigis illa foret.
Hæc tua non ſolum recte mandata notauit:
Sed fuit illorum fida miniſtra mihi.

Ad Io.Cribellum

Si tibi natali non luditur alea festo:
Da chartis operum docte Cribelle meis:
Sũt plenæ fateor Lachrymarum: nempe nefandi
Carceris illius sunt monumenta mei.
Tu mihi respondes: his nolo Platine diebus
Ludere: nolo tamen me cruciare: sapis.

Ad Io. Stephanum Cottam

Designate duci signator arundine nostro
Cotta magistratu gaudeat aula tuo:
Si quantum uirtute uales: ornabere: nulli
Curia cui foueat: Cotta secundus eris.

Ad eundem

Sum tibi de multis gratatus honoribus olim:
Gratulor ut rursum Cotta frequenter agas.

Ad eundem

Hortor ut omne tuum scribas in codice carmen:
Quod sinis archetypum Cotta latere domi.
Aede: nec expectes hæredem: certius hoc est:
Forte uoluntatem negliget ille tuam.
Eripe te morti: quod si contentus honore
Quem tibi uiuenti musa benigna dedit:
Vela legis: moueat patriæ te gloria: cuius
Natus es ad laudem: Cotta quod hortor agas.

In Pinum

Pine quid insanis? cum milite quid tibi sacro?
Quid tibi canonice interpres cum uate canoro?

Tune tuis minitare mihi: mandasue tabellis?
Quas ad te laceras tantummodo Pine remitto:
Si pergis: peiora tuis redeuntibus addam.

De nimio æstu

Iamq; diu nimium torremur sub cane: possunt
Non homines æstum ferre: nec arua sitim.
Menonis: & libies hoc ipsum chasma profecto
Esse putes oræ semper egentis aqua.
Sydera quẽ norunt: & amãt: sub præside Mauro
Nos etiam Mauros Syrius esse putat.

Ad Senatum

Si quid agat prætor: prætereq; uicarius æquum:
Continuo par est id reuocare patres.

Ad Io. Thomam Platũ patruum

Vt placeant alii Mauro: sua principis ora
In foribus pingunt: æthiopemq; suis.
Tu maiora facis: qui uiuum patrue Maurum
Assidue tecum ducis: habesq; domi.
Temporibus seruis: & agis bene quis neget? i quo
Differimus: sed tu cum Cicerone sapis.

Ad Senatum

Non petii sacrum quod iussa luce senatũ:
Accuso pluuias: horribilemq; uiam.
Hoc iter est æstate malum: cum defluit imber:
Hyberno ualidos tempore rumpit equos.
Indulgete mihi triduum: nolite Platino

Nescio quam Mariam præposuisse patres.

De Se

Tempora sim poscnnt ut polypus: atq; renascar:
Sed mea naturæ uis: habitusq; negant.

Ad Gasparem Roberti. F.

Par opus egerunt Cocles Gasparq; sub hisdem
Mœnibus: hic uultum saucius: ille femur.
Coclitis ut claudi uestigia pulchra fuerunt:
Ora cicatricem sic tua Gaspar habent.

Epicedium Roberti Sanseuerini.

Sanseuerinus habet nil non illustre Robertus:
Stemata maiorum longa Robertus habet.
Mater Elisa fuit tanto dignissima nato
Sfortias: Insubriũ Dux tibi chara Soror.
Oppida Campanis genitor Leonetus in oris
Qui tenuit: tali couiuge dignus erat.
Gloria parta manu maior propriorq; Robertum
Extulit amborum nobilitate magis.
Bella puer gessit sub auunculo: & affuit illi
Promptus in arma manu: consilioq; bonus.
Præfuit ordinibus iuuenis dilectus ab omni
Milite: uirtutis præmia sæpe tulit.
Auspiciisq; suis: & opes est ausus: & omnis
Italiæ solus sustinuisse manus.
Sæpe triumphauit: restabat barbarus hostis:
Trans Atesim Cymbris intulit arma ferox.
Expugnare Petram properabat: & inde Tridentũ:
Ponit in hostili castra repente solo.
Theutonico uallum subito irrumpente furore
Hostibus haud cedens occidit ante suos.
Ergo quod optabat præclarum funus in armis:
Conueniens acri fata dedere uiro.
Omnia Roberti memorabunt sæcula nomen:
Nominis annales armipotentis erunt.

In quendam putrem cæno stacilien
sium aquarum se linenrem

Cum sis ipse lutum: cum possis esse cadauer:
Cur aliud cænum per tua membra linis?
Præstantis medici mala per contraria curant:
Si qua fides illis: in Phaetonte nata.

De Mauro

Est incredibilis Mauro concessa potestas
Ab Ioue: mutandi ius Paradison habet.

De Cucurbita mystica ad Maurum.

De fragili uitro quæ sparsa cucurbita cancri
A pedibus Mauri Pendula fundit aquas.
Indicat extingui flagrans hoc tempore bellum:
Et regredi Gallos munere Maure tuo.

Epi. Octauiani. M. Sfortiæ Viceco.

Ille patris magni uirtutum Octauius hæres
Impia summersi fata secutus aui:
Flumineis excussus equo puer inclytus undis

Conditur hic: animã pulcher olympus habet.
Addua crudelis pelago truculentior omni
Sol oriens in aquis occidit ille tuis.
De Ia. Landriano Comite eiusdẽ Octauiani.
Nunc ea Nasonis credi miracula possunt
De Cycni lachrymis: Heliadumq; piis.
Triste sui funus deflens Iacobus alumni:
Elysii campos Landerianus adit.
Epi. Petri Attenduli
Hoc in marmoreo iacet Sepulchro
Iunctus magnifico Petrus parenti
Heu raptus iuuenis probus: potensq;
Et quantum patitur iuuenta prudens.
Hic auratus eques bonis abundans
Multis eximiis: honoribusq;:
Omni labe carens erat profecto.
Nato cum patre dic uale uiator.
Firmat illud uirgilianũ stat sua cuiq; dies.
Contra fata nihil ualidum natura creauit:
Omnibus ut nasci sic dedit illa mori.
Cũq; dies homini uenit suprema: quid illum
Vota suæ gentis: quid medicina iuuat?
Vix ope diuina mors exorabilis esset:
Nedum Pæonia: nox sua queq; manet.
In quendam profitentem Chiromantiã
Hic manibus uates se nosse futura fatetur:
Et quæ sunt oculos non uidet ante suos.
Dignus agi præceps foueam telluris in altam.
Alter ut ad manes Amphiaraus eat.
Ad Hermolaum Barbarum
Barbare barbariem qui destruis usq; latinam.
O quem inter paucos Iupiter æquus amat.
Tullius Hermoleo similis tibi cætera cedit
Stemmate patricio: mirificaq; lyra.
De eodem Patriarcha Aquileiæ creato
Barbarus Hermoleos uenetus prænobilis: & uir
Rarus ob ingenium premia digna tulit.
Præsul in urbe tuus fœlix Aquilcia creatus
Pontifice a summo respiciente bonos.
De postliminio uirtus rediisse uidetur:
Plaudite præstantes: & uigilate uiri.
Sed neq; flos unus neq; progne uer facit una:
Adde quod Hermoleos ante beatus erat.
Barbare: nemo negat: tua te doctissime uirtus
Extulit: externis sed comitata bonis.
Barbare (crede mihi) si pauper & ipse fuisses:
Tu quoq; cum musis negligerere tuis.
Nos utcunq; uiri tanti gaudemus honore:
Et grates agimus clauiger alme tibi.
Ad Gotardũ panicarolã de uiciis aulæ
Pauperis ingressus Francisci dogma beatum
Quod primogenitus sit cruciare tuus:

Qui puer in primis esset iam clarus in aula:
Et gereret pro te res aliquando ducis:
Mi Gotarde feras: & quem deus ipse uocauit:
Seruitio noli tu reuocare suo.
Fecit opus sanctum diuino percitus æstro
Natus Alexander Panicarola tuus.
Nonne uides quantam uitauerit ille caribdim:
Probra relinquendo quæ comitantur opes.
Non erit hic auri cupidus: Pompæue: nec auræ:
Vnde foret tumidus dissimilisq; tui.
Nec delator erit socii: malefidus amico
Inuidia nulli perniciosus erit.
Nec pædicabit: nec pædicabitur ipse:
Aut alio castus desinet esse modo.
Nec peierabit: nec uana: & falsa loquetur:
Nec paruifaciet lædere sæpe deum.
Nec puer ingenuus Gnato nec leno feretur:
Scurraue: nec mimmus: nec parasitus erit.
Factio non illum: nec polluet alea pernox.
Omnibus a uiciis hic puto tutus erit.
Nõ oberũt illi cõmertia praua: nec ullæ
Illecebræ: somnus: crapula: uina: uenus.
Nec rosea se sparget aqua: nec olebit amomum:
Colla nec aurato torque ligatus erit.
Fortunæ uicibus non instar nauis agetur
Fluctiuagæ: in portu cui status omnis erit.

Deniq; fælices omnis miserabitur aulæ
Filius in sancta relligione tuus.
Cum bene seruierit: nec erit meus exitus illi:
Seruiet: unde feret præmia summa: deo.

Ad Bartho. Priorem. S. P. Glisate

Iamdudum concepta sitis dilataq; crescit
Nostra salutandi Bartholamæe tui.
Te flagro fragrante frui: ferar o pater ad te:
Ceruus ut ad nitidas it sitibundus aquas.
Interea præmitto mei tibi pignus amoris:
Et breuis aduentus hoc epigramma fidẽ.

Ad Deum opt. Max.

Qua mortale genus moriens a morte redemit
Filius o superum Rex: hominumq; tuus:
Quaq; resurrexit spoliis Acheruntis honustus:
Suppliciter lucem te per utramq; precor:
Fermenti ueteris penitus uestigia dele:
Et mihi perpetuũ da sine labe nouum.

De Eucharistia ex diuo Augustino.

Qui bene manducat christum: fit Cristus: in illo
Nempe figuratur protinus ipse deus.
Væ quibus indigne cibus hostia sumitur almus:
Augustinus ait demonas esse malos.

In die Salutationis Angelicæ

Ecce sacrata dies: & uerbi conscia facti
Carnis: ut angelicum uirgo recepit aue.

Ipse deus fieri uoluit mortalis:& esse
Victima pro nobis: & sumus immemores?
Deum cū matre uirgīe paria nobiscū agere
Hac in luce dei genitricis immemor almæ
Qui fuerit:deus:& genitrix in morte negabūt
Se memores eius:qui non oblitus eorum
In uita fuerit:sua curæ mors erit illis.
Ad Ascaniū.M.SF.Cardinalē Sancti Viti
Quod fœlix:faustumq; tibi:regnoq; duciq;
Auguror o Princeps inclyte:sitq; præcor.
Insubres moderare tuos & munia fratris
Qualis Amiclæus Castoris alter agas.
Scripserunt alii sat publica gaudia de te:
Et posita aduentu protinus arma tuo.
Ipse meam cogor ueterem renouare querelam:
Deq; tuis tecum liberiore loqui.
Hoc satius:q̄ si replerem questibus orbem:
Aut agerem uitam duriter usq; domi.
Me tuus immerito:testor pia numina:frater
Corripuit quondam fulminis igne sui.
Ille domus uestræ miserum me fecit alumnum.
Diripuit comitem per tria lustra suum.
Nec tua glos unq̄:nec frater:utriq; regentes
Imperium:rebus consuluere meis.
Erecti per te sumus in spem:ne sit inanis:
Effice:neu crimen sim quoq; iure tuum.

Ad Gomecium abbatem
Vidimus hispaniæ gentis:lumenq; latinæ
Quæ modo gentili scripseris ipse tuo.
Vnde uoluptatem cepi uenerande Gomeci:
Non tibi uersiculos displicuisse meos.
Ad Iacobū Antiquariū Ducalem Secr.
Muta licet tecum fuerit mea musa:loquacem
Dixeris in castris hanc Iaco be tamen.
Hic ubi uersatur:strepit arma uirosq; ciendo:
Sæpe duces ipsos carmina nostra iuuant.
Non cecini fateor quæ gessimus hactenus ipsi:
Digna recenseri cum tamen illa forent.
Bella quod est animus mihi consumata referre:
Non ea quæ gerimus:quæue gerenda manent.
At tua quam stupui dignam Cicerone tabellam:
Ne sileam:multa me ratione monet.
Præteritasq; moras monitis castigat amicis:
Muneris affirmans hoc opus esse mei.
Scribere conantem tua iussa & obire uolentem
Multa uetant:quæ me nocte dieq; premunt.
Forsitan hæc olim mandabimus omnia chartis:
Iam mea censorem te sibi musa parat.
Ad Thomam Orphei
Odi te:quoniam mihi nulla stipendia soluis:
Vis puto me soluam:teq; solutus amē:
Ad eundem

Diligo te Thoma mihi protinus ære soluto:
Te puto me solui nolle:nec ipse uolo.

Ad Comitem Io. Franciscũ Turrianum

Artusius Michael mea qui tibi carmina reddit
Omni me studio prosequiturq; fide.
Vtor eo ueteri cunctis in rebus amico:
Q uo meus est usus ante cliente pater.
Omnia quæ sua sunt:mea iure negocia duco:
Officium uiolem:si minus hunc tuear.
Incidit imprudens in uectigale periclum:
Perq; redemptores res periere suæ.
Huic hominũ præfecte gregi clarissime quæstor
Vim prohibe:Michael te duce liber eat.
Tu uir patricius tu seruantissimus æqui
Tam probus:& doctus:q̃ generosus eques.
Mirifice res una tibi deuinciet ambos:
Et tua apud memores gratia semper erit.

Ad Aluysium Terzagum

Fretus amicicia nostra Terzage uetusta
Q uæ mihi sancta fuit:semper eritq; rogo:
Vt tibimet nostri monitor sis ipse negoti:
Promissiq; uelis ut meminisse tui.
Temporibus cedens in agello uiuo paterno:
Te nequeo præsens admonuisse mei.
Ingenuo nimium graue mendicare uidetur:
Osq; uerecundum constat habere probos.

Q ualiter ornari cupiam:ne quære:tui sit
Consilii:munus sustinuisse mei.
Q uod superest:ne sperne p̄cor mea rustica dona
Lactis alumna:boues quæ peperere meæ:
Lauta tibi posthac urbanaq; munera mittam:
Vrbis ubi per te cultor honestus ero.
Q uod tibi magnificus fortunatusq; uideris:
Inq; tua dominum credis habere manu.
Q uodq; supercilio fastidis omnia:præter
Munera:fastosi non leue crimen habes.
Sed ueterem socium q; circũueneris auro:
Dic mihi flagitium quale uocabo tuum:
Mutetur fortuna caue:scis lubrica q̃ sit.
Et potes exemplo pertimuisse tuo.
Fortunam ne regna quidem tenuere secundam:
Instabilem fœlix esse memento rotam.
Vt tibi non parcat Nemesis committere noli:
Illa superborum res inimica premit

Ad Io. Thomam Platum patruum

Anti Machassolas dilexi:nunc amo fratres
Patrue uicinos e regione tuos:
Q đ mihi non dederãt tot pharmaca sũpta:ualere
Vina per illorum me preciosa puto.
Temperet hunc oro semper coctura lyæum:
Musta Machassolis & bona cuncta fluant

Ad Franciscum Philelfum

Phrixeam tibi donet ouem prædiues amicus:
Hunc ego pinguem hædũ mitto Philelfe tibi.
Ad eundem
Par tibi nec munus:nec possum mittere carmen:
Tu tamen:ac si par esset utrunq; probas.
Ad Antonium Bracellum Duca. Sena.
Ominibus Bracelle bonis:auibusq; secundis
Mittimus ad Ligurum carmina nostra ducē.
Consilium prudens:& uox facunda senatus
Antoni ligurum tu decus illa feres.
Ad Iacobum Crotam Iuris Cons. cele
berrimũ Aedilē Mediolani maiorem.
Hic Iacobe gerens ædilem Crote Catonem
Iusticiam libra qui moderare pari:
Mox ego non humili texam tibi carmine laudes:
Ocia cum fuero nactus amica lyræ
Ad Principem Ludouicum
Non ego militiam uito:nec sum instar Vlyssis:
Anguigeras aquilas acer ut ante sequar.
Aera peto Princeps:& equum Ludouice ferocē:
Centum auri nummos me petiisse putas.
Nempe rogo cētum:sed quinquaginta meremur:
Et petitur sonipes in ratione mea.
Diuite iam diues mittebar in arma paratu:
Amplius heu nequeo sumptibus ire meis.
Paupere nescirem cultu pugnare:Platinum

Aere cie multo:si fore uis alacrem.
De se pecuniis ex hausto
in natali Christiano
Natalis rediit ruri mihi tristis agendus:
Condicio nobis est bona nulla domi.
Aera mihi non sunt:& abundo sumptibus:& me
Quilibet hoc ipso flagitat æra die.
Litibus exhausti nuper repetiuimus agros:
Fœnore dimissis rebus in urbe meis.
Munera mitto meis hoc tempore ruris in urbem
Annua patronis:nullus ab urbe mihi.
De eodem
Quo te sancte modo Natalis agemus ouantes:
Si mihi tu semper tristis:& ater ades.
Indulgere uetat genio leuis ære crumena:
Ludere nec quisq; qui caret ære potest.
Dissimulare licet uix inter uina dolorem:
Vt te rite colam:tu mihi rite ueni.
Deflet mortem Io. Cribelli
Lugeo iure tuam mortem Cribelle Ioannes
Suspirans animi parte carere mei.
Tu mihi principium citharæ calcarq; fuisti:
A puero cœpi te coluisse uirum.
Ingeniumq; tuum studio mirabar in omni:
Mirabarq; tui carminis omne genus.
Solabare meos interdum carmine casus:

Deq; meo tristi tempore tristis eras.
Cum patria amisit multum Cribella propago.
Plus ego quam ciues Cribriferiq; tui.

Ad Laurentium Medicem

Sergia terra tibi Laurenti dedita fertur:
Vt uenisse tuam sensit in arma togam.
Vt moderatorem te regni uidit hetrusci:
Erubuit portas non aperire tibi.
Aduentus in castra tui rem fama peregit:
Pila nec obsessi:sed timuere pilas.

De peste Insubrium

Seuit in Insubres pestis:iam lætifer annus
Tertius est:urbem ruraq; luctus habet.
Posse negant medici gliscentem sistere morbum:
De superis affert nullus amicus opem.
Ipse deus frustra precibus uotisq; uocatur:
Funera cum sit hyems edit acerba lues.
Hic etiam populatur agros urbemq; relictam:
Omnia sunt passim plena cadaueribus.
Aut miserere parens aut nos interfice cunctos
Ipse tua dextra fulminibusq; tuis.

De Casu puellæ

Vt procul urbanæ fugeret contagia pestis:
Rura sui fratris nubilis Anna petit.
Incidit in pestem ruri:cum frater abesset:
Eiicit hanc extra glos inimica domum.
Inq; leuem tegetem per frigora trudit egentem:
Omnibus hic triduo muta puella fuit.
Creditur a cupida iam mortua:mittit ad urbem
Protinus accitum:qui tumularet eam.
Sublaturus:adhuc exclamat uiuere posse:
Glos immitis ad hæc exanimata fuit.
Præsentes oramus opem uespillo puellæ:
Vt ferat:amplexu sustulit ille suo.
Igne prius fouitq; cibo potuq;:referri
Glos in tecta uiri uicta pudore iubet.
Et positam lecto curari:deniq; uiuam
Se tumulaturi uirgo fatetur ope.

Epi. uillicæ suæ

Quē coluit uiuens:hunc mortua possidet hortū
Villica delicias inter humata suas.
Quorū olerū fuerat studiosa quiescit in umbra
Est & adhuc herbis utilis illa suis.
Quæ quoniam subito periit pestisq; ueneno:
Sacrata caruit sede fidelis anus.

Epi. Absolonis Bergomensis

Nobilis hic medicus capitaneus Absolon ossa
Qui fuit in cunctos officiosus habet.
Quem Bergomensem donarunt urbe suosq;
O merita Insubres Anguigeriq; duces.

De Io. Antonio Plato Sculptore claro

Te Plate conqueritur:defletq; Insubria raptum

Cui magno decori clarus alumnus eras.
Inuidia antiqui fueras:& gloria nostri
Temporis:artifici uir memorande manu.
Fingebas pario uiuos de marmore uultus:
Alter Praxiteles:& Polycletus eras.
Stant tua Phidiaca non inferiora Minerua
Signa:nec elæo deteriora Ioue.
Vincere quiuisses:haud me cognatio fallit:
Egregii præstans omne Myronis opus.
Lysippo melior statuarius ipse fuisses:
Artem & symetriam deniq; nactus eras.
Sed qui te lugent:sibi lugent:o Plate uiues
Perpetuo cæli per monumenta tui.

Poetam inuidere poetæ

Cum mea legisset sine nomine carmina quidam
Noster:ait bona sunt:ingenium auctor habet.
Mox ubi me dixi fecisse reuoluere cœpit:
Indice cui naso grata fuere minus.
Si præclara putat:quæ non putat esse nepotis:
Vt mea miretur:nesciat esse mea.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Sponsor amicus erit meus;hac te libero cura:
Ad fora securus(non eris ipse)redi.
Sed nec eris spes atq; fides mea solus;ut olim:
Te frustra colui patrue das opibus.
Inq; tuo refugis uirtutem sanguine nudam:

Fortunam sequeris:dissimulasq; sequi.
Si te fugissem:fecisses carmina nunq:
Immemorem tanti te queror esse boni.

Ad Anastasium Platũ fratrẽ Iuris Con.

Me tua sæpe uocas ad prandia frater in urbem:
Millia sunt septem:quæ rediturus eo.
Esse recusarem domini conuiua deiq;:
Si mihi tam longe mensa parata foret.

Carminis & aquæ uenã usu fieri meliorẽ.

Carminis est similis fontanæ gratia uenæ:
Quo magis exerces:utraq; fit melior.

Ad Hospites urbanos

Inuitatores alium quæratis in urbe
Conuiuam:nimium me mea mensa capit.
Parua:sed urbano non inuidet illa macello
Diuitiis agri luxuriosa mei.

Ad Doctorum turbam de se

Me nimis humane doctorum turba disertum
Assidue prosa carminibusq; uocas.
Sæpe tibi grates egi gauisus honore:
I breuis e longum nunc ibi pone loco.
Si pontum (ut uulgi sermonibus utar) adirem:
In ponto nullas inueniemus aquas.
Si manibus fuluum caperem:plumbesceret aurũ:
Si mihi signa crucis fecero:luscus ero.
Tot latebras animis hominum natura creauit:

Corpora quot gignit uersicolora modis.
Noster opum ualeat possessor egensq; suarum:
Per quem non caleas: igne carere potes.
Quod non accipit Christus capit fiscus
Noluit aureolos qui tres impendere Christo:
Tercentum fisco ptotinus ille dedit.
Ad Io. Thomam Platum patruum
Mitto sinapisii tibi uascula bina q; ægro
Non caret exemplo: si ratione caret.
Tempore Dux pugnæ uouit: si uinceret hostem:
Diis paulum mulsi: uictor & ille fuit.
Quod placuit superis: consulq; Papirius egit:
Audeo si tecum: patrue docte proba.
Iuppiter ut facilis fuit in discrimine belli
Cursori: fuerit si mihi: sospes eris.
Sed queror huc refici: q; non aduenеris olim:
Sæpe requisitus pollicitusq; mihi.
Ver alibi non esse putas: hic omnia rident:
Omnis in hoc tractu uernat amœnus ager.
Huc ades o patrue exorari te sine tandem:
Hic illum capies quem cupis ore lupum.
Nil animo da triste tuo: concede quietem
Ingenio: donec hermictriteus eris.
Ad eundem
Viuere priuatum mirantur (ut inquis) amici
Me patrue: & causam te rogitare solent.
Reddis honorificam pro nobis: hoc tamẽ addas
Nil q̃ parua meus maluit æra nepos.
Ad eundem
Phasiacam uigil anser auem comitatur: & ambo
Patrue mittuntur munera nostra tibi.
Nobilis ales ait uolucri coniunctus agresti:
Qui mihi te iungit: anser & ipse fuit.
More meo feci: sic ipse potentibus addor:
Sic ego me doctis insero sæpe uiris.
Ad eundem
Patrue plura tibi me nemo donat amicus:
Quæ mihi non mittis dona remitto tibi.
Ad eundem
Patrue q; calidus sit carduus: & bonus esu:
Simq; ego quem dicis (nam tibi credo) salax:
Mittere te scribis mihi conuenientia dona:
Hoc Patrui non est addere ligna foco.
Frigida debueras potius misisse: uel una
Cum calido scortum debuit esse cibo.
Clausimus amisso stabulũ boue: prorsus amicas
Deserui turpes: & meliora sequor.
De uiro frigido & uxore calida
Vxorem teneram probam puellam
Curandam medico dedit maritus:
Et febrem queritur pati: nec unq̃
Illam dum futuit sibi repertam:

Iurat febre graui semel carentem
Cum sana & similis rosæ sit uxor.
Postremo male sic probat ualere:
Q uod semper calidum fœmur sit illi.
Pareit propterea misertus ægræ
Perraro futuens:hinc ille morbus:
Et poscit medicum:quod est in ipso
Si præstare ualet suæ frequentem
Vxori uenerem bonam salaci.
Sed quanq̃ iuuenis puto uir alget:
Riuali medico ualente dignus.

De Ancilla nupta

Aucillam matrona locat cum dote marito:
Signantur tabulæ:dimidiumq; datur.
De reliquo nummis exhausta paciscitur:ut tris
Accipiat uaccas:quattuor ille tulit.

Ad forficem dominæ suæ

O nimium fœlix o Palladis altera forfex
Q uam tenet in tenera pulchra puella manu.
Margarita sedens & stans:interq; sedendum
Nunc habet in dextra:nunc iu utroq; genu.
O preciose calybs electro pluris & auro
Cui licet in dominæ sæpius ire sinus.
Vidi atq; inuidi:te nobilis illa reponit
In gremio iuxta crura femurq; suum.

Diffinitio Amoris uenerei ex quarta Marci. T.C. Tusculana

Q uid sit amor Cicerōis opus lege:quæstio pādit
Q uarta suburbani nomine dicta sui.
In partes animum nostrū distinguier ambas
Hic ait:una boni est:altera causa mali.
Paret enim melior rationi subdita semper:
Aliera pats obstat:quæ ratione caret.
Omnis ab hac oritur nosttæ turbatio mentis:
Spes:timor a simili gaudia labe dolor.
Inde cupidinibus nostris:& opinio:& error
Materiam præbent:inde licenter agunt.
Ah pudet:in morbis animi numerauit amorem:
Naturæ sobolem:quem tamen esse negat.
Si geneti humano natura dedisset amorem:
Vnus ait cunctos usq; teneret amor.
Atqui dissimiles:labiq; uidemus amores:
In multis etiam non reperitur amor.
Q uæ cupide fiunt in rebus ponit amorem:
Cum deceat sanum nulla libido uirum.
Nos igitur uani facimus:patimurq; tyramnum:
Regnat ubi ratio:non habet ille locum.

Alloqtur musā ut adeat Ambrosiū Maynū

Ambrosium Maynum seu mauis dicere magnū
Nostrorum affinem quære Thalia ducum.
Nec uereare uirum fortem:qui præfuit olim

Ordinibus belli:dulcis:ut Ambrosia est.
Nec domus alituum tibi sit suspecta canumq;
Plena:colit musas hic generosus Eques.

Ad Brandam Castilioneum Senatorē

Branda tuum nomen magnis gentilibus olim
Magnificum nescit nemo fuisse tuis.
Nomine qui tali te præcessere:fuerunt
Castilioneæ lumina prima domus.
Esse tuæ gentis quod primo in quoq; solebat:
Nomen & effectum Branda Senator habes.

Ad Paulum Lunatum Senatorem

Paule patres inter primi conscripte senatus
Hic merito:qualis frater in urbe tuus:
Te simul atq; illum sumpsi mihi sæpe canendos:
Si fuerit uobis mutua cura mei.

Ad Io.Henricum Pegium Iuris Cons.

O consultorum gemini clarissime iuris
Henrice Insubris gloria magna fori.
Et magnifacio:simul & tibi debeo multum:
Audio ꝙ uersus te recitare meos:
Cum recitas:& me decoras:& carmi na nostra:
Plusq; tibi debet q̄ mea musa mihi.

De Octauio Vicomercato & Mathæo Bosso

Iudice si gemino fuit unq̄ splendida sedes
Hæc olim:nunc est:clarus uterq; sedet.
Altera nobilitas Octauius:altera Bossus
Magnificum iuris hunc facit esse locum.

Ad Octauiū Vicomercatū de pfecto Sen.

Sunt tibi quæ debet perfectus habere Senator:
Priscorum grauitas:integritasq; patrum.
Ingenium præstans: &rerum plurimus usus:
Iudicium rectum:lingua diserta:fides.
Religionis amor:tutelaq; iuris & æqui:
Ingenui mores:officiumq; frequens.
Est animus liber tibi:quem neq; factio ducit:
Non odium turbat:nulla libido mouet.
Consulis in medium:patriam defendis: & audes
Dicere:quod sentis:& ratione probas.
Ianus uti:quæ sunt:fuerintq; futura q; cernis:
Ingeniumq; tuum munus ad omne facit.
Omnibus in rebus nosti seruare decorum:
Pectora consilii plena salubris habes.
Fidaq; secretis eadem:commissa tacere
Scis pariterq; loqui tempore cuncta suo.
Adde ꝙ es iuris utriusq; peritus:& omnes
Difficiles nodos explicuisse uales.
Extera sunt in te simul ornamenta:curulem
Quæ sellam poscant ora uerendus habes.
Sunt consanguinei proceres:& census equestris:
Suntq; clientelæ:sunt & amiciciæ.
Teq; uetusta domus Vicomercata creauit
Stemmate maiorum claraq; imaginibus.

Deniq; iudicio cunctorum dignus haberis:
Qui Conrandino sufficiaris auo.
Restat ut officii sola potiare tabella:
A ducibus nostris hæc præciosa datur

Ad eundem

Factus es Octaui me diuinante senator:
Gratulor & si nil hoc reor esse noui.
Magna tuis meritis iniuria facta fuisset:
Si non esset in hoc ordine sella tibi.
Tu mihi cum causas olim patronus agebas:
Iura per aonidum sacra:senator eras.

Ad Bertholameū Caprā clarū Iuris Cons.

Capra fori lumen:seu iudex:siue patronus
Gloria consultæ Bartholamæe togæ:
Accipe quid mirum:modo re mihi fauit in una
Nursia:quod nunq̄ fecit acerba diu.
Quod cum fratre meo communis compote uoti
Obtigeris iudex tu mihi sorte datus.
Sunt tibi quæ debent in iudice quolibet esse:
Grande sophos:rectum cor:sine sorde manus.

Ad Bernardinum Crispum Iuris Cons.

Bernardine mei Laudator Crispe libelli
Me tibi uirtutis conciliauit amor.
Si mea musa potest aliquid:tibi reddet honorem:
Inter amatores o memorande meos.

Ad Antonium Zunicum

Antoni tutela frequens:& palma clientum
Omnibus in patria Zunice chare bonis:
Gaudeo:quod fratres inter nos arbiter alter
Sis:alium nollem:Zunice fido tibi.

Ad librum suum

Omnes Insubrium fori patronos
Laudari puto posse præter illos
Qui sanxere nefas duos latrones
Vt portenta liber cauebis ambos.
Obserua reliquos:magisq; nullos:
Quam quos esse mihi uides amicos:
Qui cum Iure colunt nouem sorores.

Ad.P.Andream Inuiciatum

Ante solebamus de carmine sæpius una
Cuius abundamus scriptor uterq; loqui:
Nunc ego quo careo de crimine confero tecū:
Da uati Vates Inuiciate manum.

Ad eundem

Inter fœmellas inopes:fiscumq; potentem:
Petre tuo iudex accipe corde petram.
Iudiciumq; tuum facito cognomen adæquet:
Præq; feras oculis Inuicitate Deum.

Ad Guidotum Mazentā clarū physicū

O decus & princeps artis Guidote medendi
Ara disertorum:portus:& aura bonis:
Ad te confugio:non ut medeare dolori

Corporis:est animus:qui dolet ipse mihi.
Tu cito sanasti qui uexabatur Iulum
Rhetora:cui similis me quoq; casus habet.
Iulius a lento tulit æra fugacia Botto
Per te:quæ sine te non habiturus erat.
Ille' tuam testatur opem:testabimur & nos
Perpetuo:si quid carmina nostra ualent.

Ad eundem

Qui fuit ad græcas mihi soluere uelle Calendas
Visus:opem petii protinus unde tuam.
Soluit Iuleis per scripta fidelia nouis
Aes mihi Ticina Bottus in urbe tuus.
Quod Guidote tibi medicorum gloria totum
Acceptum refero:testificorq; libens.

De uenerando Iuris peritorum Mediolanensi collegio

Qui fora causarum per totum uiderit orbē:
Ne Mediolani præferat ulla foro.
Tā ne frequens alibi:stupet aduena cominus oīs:
Protinus ingressus quod ueneretur habet.
Hic habitus:hic ora togæ uidet æmula priscæ:
Vix capiunt densos ordine rostra patres.
Hic iuuenum:pariterq; senum facundia floret:
Audieris:Crassos:Sulpitiosq; putes.
Inde senatores ex omni ætate creantur:
Anguigeriq; legunt Ilionea duces.

Deniq; ne quæri credas oracula sola
Iuris:ab Insubri dogma sed omne foro.

De Baldo Bartholo & Cino legum scriptoribus clarissimis

Prima sagax præmissus init certamina Baldus
Omne per ignotum currere doctus iter.
Cui subit auxilio frænato Bartholus ore:
Et tu iam fesso Cine uetuste gradu.

De petro Apollonio

Petrus Apollonius referens ab Apolline nomen
Carmina componit nomine digna suo.

Ad Aluysium Arlunum.

Sit ne tuum tibi fas extinctum flere parentem:
Haud Arlune pio sat mihi constat adhuc.
Iuit ad æthercam nonagenarius arcem:
De te supremum lætus adusq; diem.
Semper honorifice uixit:decessit honeste:
Et tibi cum solo fratre reliquit opes.
Tu tamen o pietas Aeneia fila sororum
Conquereris nimium parca fuisse patri.

Ad Ludouicum Carnagum

In quodam Ludouice tuo facunde libello
Fertur honorifice nomen in esse meum.
Lætor ut ingenti titulo:si legero carmen:
Nescio quid reddam nominis ipse tibi.
Sed tua me cruciat doctissime lima sacerdos:

Sicut amatorem lenta puella suum.

Ad Stephanum Ciocham

Nostrorum iuuenum qui se uirtutibus ornant:
Vnum te pridem diligo mi Stephane.
In primis te phoebus amat:doctaeq; sorores:
Vnde mihi tecum gratia prima fuit.
Te quicunq; tuum nouit:putat esse parentem:
Indole quem pulchra cum probitate refers.
Propter amiciciam nihil officiumq; recusas:
Vltro das operam tu mihi saepe tuam.
His amo te merito:tu me quoq; semper amasti:
Noster adusq; rogos iste manebit amor.

Ad Balthasarem Lupum Astensem

Nostra camoenarum studii commertia quondam
Non oblita mihi Balthasar esse putes.
Missa mihi pridem tua dulcia carmina seruo:
Non est a carie laesa papyrus adhuc.
Indolis:& morum reminiscor saepe tuorum:
Testis & ingenii sum Lupe docte tui.
Cum Merula nostri doctorũ principe saecli
Saepe loquor de te non sine laude tua.

Epi. Laurentii Medicis

Qui florentinum imperium seruauit & auxit:
Consilio:patriam praeposuitq; sibi.
Laurenti medicis polus immortale recepit:
Fama uiri superest:conditur hic reliquum.

De Nicolao Seratico

Nostra iuuans olim Seraticus ocia doctus
Et solitus nugis primus adesse meis:
Nicoleos ille alter ego ad mea uota rediuit:
Nuper ab hetruscis altera olympiade.
I puer exorna mea fronde uolumina festa:
Excute de pluteo codicibusq; situm.
Ecce mei cultor studii:nunc omnia carpam
Palladis:& phoebi munera cum socio.
Esse mihi foelix ex infoelice uidebar:
Gaudia sed nobis accumulata negãt.
Hũc amor hercul'hinc reuocat[cui seruit:& illinc
Ficinus studiis Angelus inde suis.
Picco uel potius phenice nihil magis:addit'
Landinum & uatem Carole magne tuum.
Ingenia antiquo colit illa simillima saeclo:
Ergo ego uix uno mense sodale fruar.

Ad Iacobum Gambarum Bononiensem

Me quoq; posse tuis absentem haerere medullis
Spero:sit unde mihi spes Iacobe nota.
Non potes absentis tu non meminisse puellae:
Tu dominam tecum nocte dieq; geris.
Hanc in Apellea tibi reddit imago tabella:
Et desiderium mitigat illa tuum.
Hanc tibi gemma refert:hac signas ipse tabellas
Seruit & archanis ista figura tuis.

Hanc habet effigiem: quem gestas annulus auri
Indigito: quam tu pectore semper habes.
Et quamuis aliud sit amici: & nomen amicæ
Cerno per illa tamen mite cor esse tibi.
Ad Iannetũ Zachariam
Pene latinus honos omnis Iannete Cremonæ ẽ:
Cum quo uersari te iuuat: atq; decet.
Sed uereor: ne te faciat chorus ille superbum
Inclytus: & noster sordeat ordo tibi.
Ad Dionysium peregum
Sex mihi donasti Dionysi poma ligusta:
Carmina reddo tibi sex reuerende pater.
Aurea non essent aphrarum poma sororum:
Poma nec Alcinoi nobiliora tuis.
Illa tamen per te magis æstimo: cuius amorem
Plus amo: q̃ quod habet: diues harena tagi.
Ad quendã fratrẽ ordinis m norum
Si qui dicit (ut est in iure) probare tenetur:
Hoc ego te posco: qui mea metra notas:
Ede calopodifer rationem: funiger ede:
Q uæ proprium nomen corripuisse uetet.
Si non adducis: diuina tenere putabo
Dogmata te tantum: carminis esse rudem.
Hoc mihi crede pater: uerumq; ignosce fatenti:
Iudicium cæcus nemo coloris habet.
Ad Camillum Ricium

Salue lacte nouem nutrite Camille sororum:
Macte Camille sacri dogmate iuris aue.
Ad Io. Stephanum Cottam
Ibis ad Arctoas hinc ornatissimus oras:
Cotta senatoris nomine macte boni.
Clarior ex illa multo regione redibis:
Orphea te dicet barbara terra suum.
Ipse tuo Cæsar stupefactus carmine præter
Cætera donabit laurea serta tibi.
Tu cane Cæsareos hymeneos inter eundum
Si poteris uates: & comitare libens.
In tanta rerum non audeo mole tuarum
Te rogitare uelis ut meminisse mei.
Ad eundem
Sæcula diuino sua non tribuere Maroni:
Fata reseruarunt quod tibi Cotta decus.
Cæsaris Insubri sumentis in urbe coronam
Ad solium Cottas est opus esse duos.
Te domus elegit tua cum seniore propinquo
Munus ad hoc ingens: & puto iure tuum.
Iam comes: & custos Augustæ: iamq; senator
Cotta ducis nostri Cæsarianus eris.
Vt tibi contingant etiam maiora mereris:
Cui titulos omnes uincere musa dedit.
Ad eundem
Cotta tuus collega sedet qui te prope caluus:

Fratris:& impensis uult futuisse meis.
Idq; uafer sacrum cogit sancire senatum
O scelus:imprudens leno senatus erit.

Ad eundem de Aemilico

Ille tuus pseudo pilades immitis & asper
Non est Cotta tua dignus amicicia.
Quid tibi cum crudo uates o dulcis amico:
Inter amiciciã conuenit esse pares.
Solus eum nouit pœnarum fiscus amaro
Quem dedit officio:cui satis ille facit.
Luce sacra pedibus Christi de more lauandis
O scelus eiecit me sine more domo.
Nec ualuere preces:subito migrare coegit:
Cum peterem paruam terq; quaterq; moram.
Per te Cotta rogans:audebis dicere posthac:
Sum satis Emilico:sufficit ille mihi.

De Blanca lucia Stanga

Lucia formosi pulcherrima Gasparis uxor
Fœmineum gestu:nil animoq; sapit.
Dote puellarum q̃uis ornata sit omni:
Officium mauult omne uirile sequi
Accinctum lateri gladium fert ista uirago
Et gladiatorum ludere more solet.
Et cupit hastarum certamen equestre Camilla
Altera:uel potius Penthesilea furens.
Deniq; quem mulier coitum desiderat omnis:

Blanca fugit:futui Lucia turpe putat.

De licentia priuatarũ mulierũ Insubriũ

Principis:& procerum solis uxoribus olim
Mos erat in nostra curribus urbe uehi:
Nunc omnis mulier uehitur priuata quadrigis:
Nausea cum reliquis ista ferenda uenit.

Ad Nicolaum Seraticum

Quod tibi non potui præstare Seratice coram:
Cum subito pisas ingredereris iter:
Fert mea musa procul:quæ te desiderat unum:
Turturis in morem quem sua liquit auis:
Hæc est illa tuæ pimpleis imago thaliæ:
Ut similes animis ingenioq; sumus
Iam cœpit sine te mihi Delius esse molestus
Urbis & amisi perfugiumq; domus.
Restat ut in solis Prudentia me iuuet agris:
Quæ desiderio mœret & ipsa tui.

Ad eundem

Quod uolui semper Seratice:ne tua uirtus
Esset in obscuro desidiosa loco:
Euenisse tibi iam gratulor idq; tiferni:
Sunt ubi quos habuit Plinius alter agri.
Hercule Bentiuolo te Scribam uiuere lætor
Contentum domino conueniente tibi.
Tot bona cui tribuis iuueni Seratice nato
Ad res magnificas:omnia credo tibi.

Et mate: nus auus:& auunculus excitat illum:
Et meminit quanto sit genitore satus.
Xanctes hunc genuit:qui de sapientibus unus
Perpaucis illo tempore dictus erat.
Diuus habebatur Franciscus Sfortia primus:
Frater Alexander iure secundus erat.
Tertius est habitus diuino pectore Cosmus:
Ipse parens huius deniq; quartus erat.
Tu modo parce tibi fera primum castra secutus:
Deq; tua crebro scribe salute mihi.

Ad Anastasium fratrem iuris Cons.

Vt tibi primitias horti Prudentia nostri
Frater Anastasi bis sua dona dedit.
Persica iam misit:nunc pruna:sed utraq; nondum
Mitia:furis enim non sinit esse metus
Sic utinam crudum mihi iunior ipsa dedisset:
Quod tulit ex horto mentula prima suo.

Ad Antonium Brumanum
rectorem ædis Garlaschinæ

Qui regis hanc ædem merito:circunspice templũ:
Nequa pauimento sint malefacta nouo:
Conqueritur de te Prudẽtia:quod sua sedes
Vt reliquæ non sit reddita:redde precor.

Ad Prudentiã

Quam tibi pactus erã redeo quod tardior:& non
Attulimus nummos ægra gemensq; iaces
Non semper redeunt ad tempora pacta carinæ:
Gaspe ferax etiam semina tardat ager.

Ad Anastasium fratrem iuris Cons.

Occidit illa meum regimen Prudentia nuper:
In Garlaschino frater humata loco.
Huic in morte dedi:quod non in luce dedissem:
Coniugis optatum nomen habere meæ.
Viua quod ausa fuit nunq̃:mo.itura rogauit:
Iret ad elysias ut sine labe domos.
Lætaq; coniugio periit contenta libensq;
Et fore se saluam plurima signa dedit.
Prorsus aecrba mihi nunc est domus ista sine illa:
Quæ fixa est animo nocte dieq; meo.
Mortis ut illius ueniant obliuia nobis:
Te mihi ferre tuam frater oportet opem.
In quo tu præstas ad me sermone soluto
Scribe celer quicq̃:meq; uenire iube.
Fac precor ut patrui mors ista feratur ad aures:
Scribat ut ipse mihi carmina:si quis amor.

Ad eundem

Vt nummis egeo:si tu quoq; frater egeres:
Et tibi mercari cuncta necesse foret.
Magnifico certe Botro importunior esses:
Qui tibi soluendo solueret æra mihi.

Ad Leonardum Griffum præsulem

Si diuinus adhuc in te Leonarde mouetur

Impetus aonidum: qui tibi tantus erat.
Excipe iucundum musis doctumq; Massellum:
Et foueas oro mitis in urbe Remi.
Diuus & Ambrosius tibi commendare uidetur
Hunc hominem: p quem nō latet hexameros.
Illius egregio sint emolumenta labori:
Qui curauit: ut hoc imprimeretur opus.

Desiderat in amica noua risum

Ride si sapis: o puella ride:
Quod Naso semel omnibus puellis
Vni dico meæ frequens amicæ:
Commendatur amor decorq; risu.

De se facto statim sene ab amica

Cum modo fortis adhuc quinquagenarius esse:
Pene mihi iuuenis esse uidebar ego.
Imposuit ueteli mihi per conuicia nomen:
Et mea me subito fecit amica senem.

Ad Io. Lunatum sacerdotem de eadem

Curre philippinæ si uulnera chare sacerdos
Vis in fronte mihi cernere facta manu.
Tonsoremq; meum festina ducere tecum:
Vnde malum tulerim: dedecus abde meum.
Non ita sæua fuit Xantipe socratis uxor:
Vt sua se uati præbet amica tuo.

In eandem

Musa philippina me discedente reuisit:

Hostibus eueniat talis amica meis.

De Cado suo acetario

Qui cadus omne mihi uinum reddebat acetum:
Nunc ut dulcescant acria uina facit:

Ad uiatorem in laudem ædis durni
diuæ Mariæ Virginis angelorum

Pera calopodiis hanc addita condidit ædem:
Ne domini credas esse alicuius opus.
Alma tibi uirgo qui fundauere: dicarunt:
Ordo minor Fratrum struxit: & ipse colit.

Ad Io. Stephanum Eustachium

Frusta leuis cerui carnem tibi mitto salubrem:
Plinius hac usos febricitasse negat.

Loquitur Plato

Gentis eram: quæ dicta meo de nomine restat:
Mutaui dominum uenditione domus.
Nostro Guidoto Berguntius emptor: ut inde:
Consoler: medico me dedit ille suo.

De Constantia sua

Rideo fortunam: quæ pectora nostra fatigat
Assidue: nec me de statione mouet.
Siue q; erumnas usus facit esse minores:
Quo magis exercet me grauat illa minus.
Siue q; esse domus nostræ Plato dicitur auctor
Forsitan hoc animi roboris inde uenit.
Cum bona sustulerit mihi plurima: plura supsunt

Quæ mea sunt:& erunt iuris ubiq; mei.

De morte Petri Antonii
Marliani physici clari.

Da lachrymas orbata tuo schola grato magro:
Ille tuus periit Marilianus honor.

Ad Bartholamæum Cremonensem

Grate puer musis:ut sunt tua carmina testes
Scripta mihi:sapiunt quæ puerile nihil.
Quam petis a nobis aliis ostendere posses:
Adiuga Parnasi iam tibi nota uiam.

Epi.diui Francisci SF.

Hic ducis Insubrium sunt eiusdemq; parentis
Ossa:iter hac faciens hunc uenerare ducem.
Tot res & tantas Franciscus Sfortia gessit:
Vt merito dicas:hic iacet orbis honor.

Epi.diuæ Blancæ Mariæ Anguigeræ

Hic Blancæ Mariæ fœliciter ossa quiescunt:
Iuncta quibus fuerant consociata thoro.
Diui Francisci coniunx:diuiq; Philippi
Filia:digna uiro:digna Parente fuit.
Cuius ob interitum:quem ꝑdidit ante Cometes
Fleuerunt homines:ingemuere feræ.

Ad Statuam diui Francisci SF.

Si tam magna fores:animus fuit in duce quãtus
Sfortiada:cuius corpus:& ora refers:
Tantaq; si stares uirtutis:ut æmula formæ
Vertice pulsares astra polumq; tuo.

De equo eiusdem statuæ

Ars imitata ducis piusq; mortalia facta:
Supra naturam sub duce finxit equum.

In Baptistum Coletam

A turcis rediit turcus Baptista Coleta
Dissimilis fratri moribus:ore:fide.

Ad parietem

Dulcis aue paries pictura culte uenusta:
Quæ dominæ uultus est imitata meæ.

De Lancino Curtio

Lancinus decorat qui nostram curtius urbem
Aequa lance mihi iunctus amicicia:
Egregii uatis:nomenq; fidelis amici
In libro meruit primus habere meo.
Non ꝙ is in nostro scriptor clarissimus æuo
Hoc egeat titulo:quem tribuisse potest.

Ad eundem

Quis poterit uatum lumen Lancine nouorum
Ingenium præstans sat celebrare tuum?
Non modo tu ueterem nosti:sequerisq; poesim:
Cui prisca inuideat:sed facis ipse nouam.
Indulsere tibi musæ naturaq; uires:
Vt breuiter dicam carmen ad omne suas.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Antiquanda nisi rescindas acta:licebit

Irasci patruo triste nouumq; mihi.
Et noua præbebis fraterno semina bello:
Tu malis istis obuius ire malis.

De tædio fori

Malo nihil fieri q̄ lites inter amaras
Viuere:& insano deditus esse foro.

De se

In quo certaui:nunc specto prælia campo:
Quam spectem:gessi grata pericla magis.

Ad Theodorum

Pulchra tibi est ancilla domi Theodore:sed illam
Negligis:& teneros quæris ubiq; mares.
At mihi formosus puer est:& dignus amari:
Quem nunq̄ tetigi:tangis ut ipse tuos.
Permutemus:erit sua sic utriq; uoluptas:
Perplacet ille tibi:perplacet illa mihi.

In eundem

Tu modo te iactas:modo uis miserandus haberi:
Dumq; meum teneas:omnia ferre potes.

De eodem iam mortuo

Ne legat hos oro stupidus:uel sanctus Iambos:
Lectitet is demum:quem sua damna mouent.
Hic mihi concedet fratrem culpare sepultum:
Qui fuerit nostræ pene ruina domus.
Non ego fraternos insector arundine manes:
Larua nec ut luctor:sed mea damna queror.
Et domui nostræ cum fratribus angor ademptas
Esse tot antiquas crimine fratris opes.
Cum pius in fratrem fuerim:cur impius ille
Semper & ante mihi post obitumq; fuit?
Fallor:an inuidia nostræ uirtutis acutus
Ingenio prauo iuris alumnus erat.
Stamina præterea clari breuiora parentis
Fecerat:ingratus difficilisq; patri.
Mitto q᷑ externis hæredibus omnia liquit:
In testamento me notat ille suo.
Et patruum:fratresq; simul:meruisse uidebor:
Si parco cineri frater acerbe tuo.
Quam mallem debere tibi præconia:uel me
Læsisses in re:non in honore simul.
Si scripsi Theodore puer tibi non rude carmen
Læticiæ:luctus o tibi quale darem.

In eundem

Testamenta meus frater:si iura ualebunt:
Condidit:& liquit quas lipitopus opes.

Ad Ruglerium Comitē Iuris Cons.

Cum canibus recubans una pulicosus abibit:
Crimina Rugleri sic aliena feres.
Omnia quæ dixti pro turpi testis amico:
Crede mihi famæ sunt nocitura tuæ.

Ad Principem Ludouicum

Qui condunt leges aliis:& non sibi condunt:

Regibus has ideo præteriisse licet.
Conduntur leges a Regibus:ut uigeat fas:
Ecce nefas:ergo frangere iure decet.
Condidit in fratres animo Theodorus iniquo
Supremis tabulis impietatis opus.
Lædere naturam cunctis in rebus amauit:
Semper atrox odio sanguinis ille sui.
ama tuas hominis uitæ peruenit ad aures:
Vt uixit:periit:dicere plura pudet.
Scinde potente manu Princeps Ludouice piaq;
Tam trucis & fœdi scripta nefanda uiri.
Fecit idem quotiens Augustus:cum pater esset
Ille suæ patriæ:qualis es Ipse tuæ.
Hoc ipsumq; tuum constat fecisse parentem:
Omnibus in rebus quem Ludouice refers.

Ad Antonium Cacaranam Iudicem

Metitor quid agas Antoni:probra sequentur
Te:quibus infamem solueris ipse reum.
Si scelus absolues:te condemnabis:& in te
Musæ armabuntur me Cacarana duce.

Ad Antonium Pelotam poetam

Rura colant urbem qui detestantur:& aulam:
Aut quibus ingenium semper agreste fuit.
Me cui sunt urbes & regum limina nota:
Et cui te uates Iudice Musa fauet:
Qu q; dedi passim geminæ spectacula laudis:

Non decet exiguum uita colentis agrum.
Non est(crede mihi)uotum:quod iure senesco:
Sed ratio:cuius me piget atq; pudet.

In Scatabatracon

Numina sunt nūmi:Statabatracus iprobus auro
Iudicium contra iusq; pium q tulit.
Pædicare licet:sententia lata uidetur
Dicere:pædica libera turba metu.
Prodidit an iudex hic pseudo Platos ne pronus?
Consilio certe misit in arma suo.
Omnia iura super Scatabatracon ære cacantem
Vt caueant omnes:hoc epigramma notat.

Ad Cacaranam.

Rana caca dixi:quereris Cacarana:sed erras
Rana caca melius q̄ carauana sonat.

De Iudice corrupto

Sub Cambyse reus cutis esses:effuge pœnam:
Non tamen o iudex integer esse potes.

Ad Anastasiū Platū fratrē Iuris Cons.

Nonne fui uates:en ille nefarius alter
Qui pædicandi sanxit & ipse nefas:
Ad styga descendit præceps:ubi plectitur igni:
Nos & se pariter uindicat ipse deus.

Ad Georgium Merulam

Nil mihi legauit subiturus tartara frater:
Prædo mei census:hic tibi damna dedit.

Vnde solebamus tibi mittere dona Georgi:
Supremis tabulis me spoliauit agro.
Vrbi uicinam Bonarollam nunc habet hæres:
Incolo Garlascum: tam procul esse queror.
Fundus inempta mihi tua reddere dona solebat:
Quæ nunc urbanum dat preciosa forum.
Distulit ille tamen: non abstulit omne tributum:
Suppleat o nunq̃ uir moriture fides.

Ad Michaelem fernum.

I Michael I Ferne ferax ubi sit tua uirtus
Romam: quo uatum confluit omne genus.

De Sole in occasu orto.

Sol aduentanti tanq̃ mihi plaudere uellet:
Cum prope Garlaschi moenia grata forem.
Ortus in occasu subita me lampade fouit.
Continuis essem cum madefactus aquis.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Tu componis opes: ego librum: rem facis amplã
Patrue: quod facio grande uidetur opus.
In rebus te pono meis: & scribo parentem:
Tu mihi par in re patrue redde tua.

Cur habitet Garlaschi

Cur ego Garlaschi uiuam quærentibus edo:
Ocia contingunt hic studiosa mihi.
Hic ego fortunam melius dedisco priorem:
Hic bona sufficiunt pauca relicta mihi:
Hic minus amissis angor minus illa uidendo:
Hic mihi Philosophi degere more licet.
Nec colere indignos sumus hic: ut in urbe coacti:
A Garlaschinis omnibus ipse color.

Ad Balthasarem Taconum.

Balthasar accepi tua carmina reddita nuper:
Cum tu iam pridem miseris illa mihi.
Quid Genuæ facias: ut ames me mutuo: & ægre
Vt uiuas: elegi me docuere tui.
Ad stomachum fecere meum: quæ scribis acerbi:
His de temporibus: dulcia nempe mihi.
Quod te noster amat Balianus: & uteris illo:
Vt moniti scriptis ex utriusq; sumus.
Gratulor ambobus: istic si tertius essem:
Essem uiuidior cladibus ipse meis.

Ad Pompeium Castilioneum

Accipe Pompei: si non oracula fallunt:
Indole certa super carmina nostra tua.
Nũc ego Pythagoræ ꝓbo sensa: remissus ab astris
Spiritus ecce tuum corpus auitus habet.

Ad eundem

Te tuus inuitat cras ad sua prandia uates:
In te animam esse tui uaticinatus aui.
Inter amiciciæ numeramus pignora mensam:
Non potes hoc ergo iure negare mihi.
Te uoco Pompei cum præceptore sacrato:

Et fratrem crassum quotquot habesq; domi
Optaui quotiens:ut in hæc tua te loca ferres:
Venisti tandem:te rogo posse frui.

Ad Gulielmum Citadinum

Edidit:aut aluit te plene copia cornu:
Dona manu larga qui Gulielme facis.
Misisti preciosa mihi q̃plurima poma:
Quæ nostrum cœlum frigore ferre negas.
Credo:peregrinis allata uidentur ab oris:
Et decerpta suis nuper ab arboribus.
At tua quæ stupui Pompeius carmina noster
Voce sua dulci iuuit & ipse legens.
Cum nequeam rebus:te mente remunero grata:
Et tuus & socii sum Gulielme tui.

Ad Alexandrum Ruinagram

Hortor Alexander:ne credas omnia famæ:
Plurima sunt fama sæpe minora sua
Te nimium de me probabilis illa fefellit:
Non ego sum uates:quem tua musa canit.
Belorophontei uis est mihi parua liquoris:
Nec peligna meum gratia carmen habet
Nec si me uideas:ut flagrans esse uideris:
Inuenies hominem:quem Ruinagra putas.

Ad Bernardum Bassum

Aedis Garlaschi Rector me iussit auere
Cultor amiciciæ nomine Basse tuo.

Officium misse fuit hoc mihi dulce salutis:
Visere me coram te statuisse magis.

De Sacelli Garlaschini dedicationc

Hoc tibi Brumano templi Rectore sacellum
Garlascum posuit Christe sacrate pium.
Vnde sibi magna cum relligione petatur:
Hic uoluit sedem corporis esse tui.

Ad Raphaelem siderium

Tu mihi misisti Raphael exotica poma:
Fert corciræi qualia Regis ager.
Do tibi uersiculos ego gratæ pignora mentis:
Tam precor oblectent te mea:q̃ tua me.

In fœminam Insolentissimam

Illa diu fœlix oris matrona canini
Cum locuplete sua matre repente ruit.
Vnde tot exierat rerum sentina redibit:
Signa reportentur fœnoris ante fores.

In nequissimum hominem

Mors & pœna uiri patriæ pergrata superbi
Iure fuit:ciuis sediciosus erat.

Cur iterum migret

Ecce lares iterum fatis urgentibus iisdem
Desero:me patria destituente mea.
Excidit ore mihi:non sum desertus ab illa:
Quæ dolet:& doluit sæpe dolore meo.
Cur igitur migro?sic erraturus:ut Archas

Vnde mihi bis hyems: unde ruina domi.
Esse quid hoc hominū dicā? crimē ue deorum?
Flagitii non sum conscius ipse mihi.
Forte requirenti causam narrauit amicus:
Virtuti uicium prædominatur ait.

In Maurum.

Maure tibi qui uult & charus :& intimus esse:
Deserat officium: sit tibi Maure Caym.

Loquitur Io. Galeaz Dux Mli Sextus.

A patruo sceptrum iam mortuus ipse recepi:
Nil habuit regnum me dominante mali.

Ad Franciscum puteolanum.

Matutina tuo dum pulpita more frequentas:
Et genus eruitur pallados omne tibi:
Dumq; tenes aulæ subsellia Rhetor & arcis:
Et tua uox centum sufficit una locis:
Pene tuus tacuit supremum rure Platinus:
Huc deportatum pharmaca febre leuant.
Videre o si te: quem nocte dieq; requirit:
Se fieri ualidum posse repente putat.
Languidulo sibi parcit adhuc neq; limina transit:
Tu celer o uates officiose ueni.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Quem laudas & amas & multa pascis auena:
Patrue uende tuum protinus hortor equum:
Ne cadat in plano qui uix retinetur habenis:
Si stimules ut eat calcitrat: atq; manet.
Ille mihi læuum de corpore pene lacertum
Vulsit: in hoc sedeat fac tuus hostis equo.
Peius habet uicium: ne diuersoria linquat:
Tollit se rectum: fert equitemq; retro.
Do tibi quem dederas peditē mihi patrue testem:
Ille rogatus eques iuit & ipse pedes.

Ad eundem

Nauita (quis credat) medici mihi patrue docti
Omne tulit: claudo munus opemq; pedi.
Iam gradior rectus: iam te comitabor ad aras:
Seu prope: siue procul uisere templa uoles.

Ad fratrem Simplicianū Codaciam

Illustrans hominum passim præcordia cæcus
Ordinis ille tui Simpliciane decus:
Garlascum ueniet: triduoq; morabitur: inquis:
Vt releuet mentem qua uidet astra suam.
Gestio uentura dulcedine: tu modo cæcum
Duc oculatorum Simpliciane ducem.

Ad fratrem Lippum cæcū

Te similem cæco natura creauit Homero
Lyppe: nec ingenio dissimilem ue lyra.

Ad Bertholamæum Ariboldum

Sæpe mihi fructus: aliis & forsan amicis
Impertiris agri Bertholamæe tui.
Hinc nuper solus fuit atræ grandinis expers:

Rebus amica pii sunt elementa uiri.

Ad eundem

Et dulces uuas:& dulcia persica nobis
Crebro mittis agri Bertholamæ tui.
Ingenium tecum mihi rus erit:accipe fructus
Non ita mellifluos:ut tua dona meos.

Ad eundem

Quas uuas æstate mihi tua uinea reddat:
Vt solet.& mos est Bartholamæ tuus:
Ipse tibi mitto:nondum tellure refossis
Vitibus:& uirides esse uidentur adhuc.

Ad eundem

Oenophoro uini preciosi me tua socrus
Nomine donauit Bertholamæ tuo:
Et reddi nostro plenum tibi iussit aceto:
Accipe:iacturam Bertholamæ facis.

Ad Io.Mariam Codaciam

Et per te & per se uidi tua dona libenter:
Præterea uirgo pulchra q̃ illa tulit:
Debetur merito triplex tibi gratia:propter
Munera tripliciter quæ placuere mihi.

De Io.Antonio Nouariensi medico

Garlaschi medicus meus ille sodalis apud quem
Assidue(tantum me iuuat)esse uelim.
Mille uaporifero mulieribus igne medetur
Supposito uuluis o medicina potens.

Per quẽ Vulcanũ Veneris patet esse maritum:
Sæpe reuiuiscunt quas obiisse putes.

Ad eundem

Mulgeat ægrotum medicus:dũ languidus hic ẽ:
Sanatus medicam dissimulabit opem.

Ad eundem

Vt tibi dulce loqui mos est:& scribere uersus:
Sic etiam mittis dulcia dona mihi.

Ad eundem

Quid medice hic facies:iterũ pluit:ægra ualebũt
Corpora:ne cures tertius imber aget

De eodem

Accidit horrendum nostro discrimen amico:
Quam prope lux illi nuper adempta fuit.
Hospitis a cœna loca proxima nocte petebat:
Cum p̃lumifero qui comes unus erat.
Ecce petit medicum Sicarius:ut lupus agnum:
Sublato ut medium finderet ense caput.
Non tullit omnipotens:a uertice reppulit ictum.
Læsa fuit tantum pectore summa cutis.
Quam comes excierat uicinia tota cucurrit
Auxilio:non est latro repertus adhuc.
Scribere pro socio tencor soteria saluo:
Hunc in tutela quis neget esse dei?

Ad Io.Lunatum Sacerdotem

Rem uiduam certe fecisti docte Sacerdos:

Qui sine misisti carmine dona mihi.
Ad uatem decuit musarum carmen alumnum
Mittere: commendat munera musa comes.

Ad eundem febricitantem

Quod puto consilium Galenus & ipse dedisset
Do tibi Ioannes: utere: sospes eris.
Ne schola te uideat facito: dum febre laboras:
Discipuli centum quam peperere tibi.

Ad eundem

Vt somno careas: omni quo luce grauaris
Pransus: aqua putei lumina sæpe lauas.
Ablue castalio potius tua labra liquore:
Cum te Ioannes occupat ille sopor.
Difficile est habitum deponere protinus: inquis:
Confiteor facile est attamen omne uiro.

Ad eundem

Aedificare diu si pergis: tu malecultus
Crede mihi: fies: & tua culta domus.

Ad eundem

Parcis amice nimis calamo: nec parcis honori:
Vis utriq; simul parcere: scribe nihil.

Ad eundem

Cum tu debebas occidit dicere. dixti
Occidit: occidit me tua barbaries.

Ad eundem

Ore caballino (quis credat) care sacerdos
Sunt intra sedes edita uerba meas.

Ad eundem

Tbluit una manus aliam: lauat utraq; uultum:
Vita probat: contra tu tamen ecce facis.
Quid tibi præstiterim nouit tua terra sacerdos:
Et loquitur: nec tu dissimulare soles
Quæ fuerint in me: nunq̃ me uana rogasti:
Remq; libens egi q̃libet ipse tuam:
Nec tibi mutor adhuc: quia me non desinis uti:
Sum uotis hilari moriger ore tuis.
Tu scribenda graui recipis mea carmina uultu:
Quæ tua me uirtus una iuuare potest.
Hãc mihi das operã mussans aliquãdo recusans.
Quæ fit ab inuito gratia tota perit.

Ad eundem

Huc ades: ut scribas cum dixi: protinus ægrum
Tam bene te simulas: ut simulare negem:
Et caput excusas infirmum: mitte sacerdos
Langorem capitis fingere: credo tibi.

Ad Antonium Canem Inschoreis

Antoni leuitate pedum cognomine saltans
Digne tuo concors isq; redisq; lyræ.

De eodem in prandio

Clam Canis & subito noster conuiua recessit
Inter prandendum: nunc erit ille canis.

Ad eundem

Angor:ut Antoni media inter prandia surgis:
Et nisi te reuocet mensa secunda queror.

Ad Andreā Carrariēsem patauinū medicū

Vt sapiunt ori semper tua munera nostro:
Sic aures opto nostra iuuare tuas.
Bis tua dona mihi cucumer:pira:poma fuerunt:
Bis duo uersiculi sunt mea dona tibi.

Ad eundem

Huc ades Andrea:si uis audire puellam:
Aedibus in nostris quæ tibi dulce canet.

Ad eundem de casu uetuli fictilis

Protinus Andr.a bis in arte perite medendi
Contigit absentis nos eguisse tui.
De muro cecidit uetulus:quem diligo:fregit
Et caput:& uultum:sentit:aitq; nihil.
Curre:precor præsente senem medicamine cura:
Si mihi das istum uiuere:numen eris.

Ad Balthasarē Platum

Nuncius errauit:fuit ille sed utilis error:
Ad me scribendi qui tibi causa fuit.
Me stupefecit enim tua littera culta:grauisq;:
Si non errasset:qua cariturus eram.
Non ego te libros ullos cognate poposci:
Debeo transmisso pro Iuuenale tamen.

Ad eundem

Rector in urbe togæ papiensi iuris alumnæ
Balthasar illam ornans o Plate sicut ego.
Est Achademiæ præco meus iste libellus
Idem hospes:regimen ad mea uota tuum.
Vt faueas illi cognatio nostra requirit:
Communis laus est:& nota trado tibi.

De ocio suo litterario

Castra reliquissem nisi iam ueteranus & aulam:
De studiis actum rebus eratq; meis

Vnde ipse uiuat

Pane meum corpus pasco:frugiq; macello:
Pierides animi sunt alimenta mei.

Ad Ioannem Lunatum sacerdotem

Ba be bi bo bu didicit puto Chare sacerdos:
Et tantum similes laudat:amatq; sui.
Qui tibi dat uicio quia carmina ludis:& oēs
Nos uocat insanos:qui damus hic operam.
Hunc hominem moueas & nostro noīe:si uis:
Nam uates inter nominor ipse nouos.
Carmina ne carpat solitus iam carpere lanam:
Experietur enim:quid mea musa queat.
Tu uero per me sacris ornate camoenis
Perge lyra ꝗ ali displicuisse uiro.

Ad fratrem Augustinum de laporta

Aarmina(quis credat)tua mel reddentia semper
Felle fuere mihi nuper amara magis.
Te rapit alba mihi pater Augustine:quid albam

Diximus hanc possum iure uocare nigram.
Ibis:& omne meum tecum solamen abibit:
Hoc ego Garlaschi tempore mutus ero.
Vade memor nostri:te pectore semper habebo:
Et tua sæpe legam scripta relicta mihi.

Ad eundem

Sic mihi totus eat nouus hic fœliciter annus:
Contigit ut uiso te mihi prima dies.
Augustine pater te pulpita nostra uocabant:
Scandere crede mihi muneris illa tui est

Ad eundem

Sana repente tuo reditu mihi reddita mens est
Augustine pater:qua prope captus eram.
Cessit amica duos quæ me possederat annos
Post paulo aduentum cedere iussa tuum.
Iure tibi tribuo:q; me saluator Ihesus
Te duce respexit:deseruitq; Sathan.

In eundem

Augustine tui pater accipe parua Platini
Munera debentis maxima quæq; tibi.
Poma dat Alcynoo:quisquis tibi carmina donat
Nuda:sed hæc ornant persica iuncta parum.

Ad fratrem Michaelem Stacielensem ordinis minorum.

Quod dat Aristoteli doctrina Plinius omni
Quem uocat insignem dat mea musa tibi.
Maxime præco dei concham delphine petisti
Garlascum:nihil est ad iubar osq; tuum.
Garlaschina tamen ne despice pulpita:noster
Saluator docuit deteriore loco.

De nimio frigore ad Anasta. fratrem Iuris Consultum.

Frigus atrox istic ignoro quid egerit:hic est
Fama uiatores obriguisse gelu:
Diriguisse feras & aues:animalia passim
Vtraq; per terram capta fuere manu.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Patrue seruaui necis in discrimine ciuem:
Ciuica debetur iure corona mihi.

Ad eundem

Mi patrue expecto post ipsa tonitrua fulmen.
Sæpe tamen nullo Iuppiter igne tonat.

Ad Sororium nomine Sororis

In quibus exul abes a culpa:fer mala Guido
Fortiter:in partem meq; marite uoca.
Scit deus insontem te:nostra sit omnis in illo
Spes:a quo pariter nox oriturq; dies.
Sæpe locum fecit meliori iniuria uitæ:
Et tepido ueri frigida cedit hyems.
Desine meq; tuis affligere teq; tabellis:
Amplius exilium ne remorere meum.
Hoc unum rescribe mihi Charissime coniunx:

Cum grege natorum iussa uolensq; ueni.
Par ero Sulpitiæ: nec erit puto Portia Bruti
Exemplum fidei maius Apollonia.

Ad Bernardinum Aretinum. I. C.

Non de fortunis & cum sex exule natis
Iudicium tantum de genitrice feres:
Aretine simul pietas expectat & æquum
Quid statuas: fisco plus uereare deum.

Vnum testem non sufficere.

Esse probatum aliquid bene solo teste negatur:
Vox unius enim nullius instar habet.

Ad Principem Ludouicũ pro sorore

Finge loqui nostrum Princeps Ludouice parentẽ
Talia diuino cum genitore tuo.
Pro fisco scis ipse tuo quot quantaq; feci:
Eripuit natæ rem tamen ille meæ.
Exulat infandum cum natis atq; marito:
Omnibus amissis exulat illa bonis.

De aquæ ductu Garlaschino

Garlaschinus aquæ ductus discriminat agros
Plurimus: & ripas aggeris instar habet.
Capreoli ceruiq; ualent euadere saltu:
Non autem lepores: qui cecidere natant.
Præda canum capitur per fossam rætibus udis:
Turba frequens illic rætia tendit enim.
Sit rogo piscator: uænator an ille uocandus:
Qui pro pisce trahit retibus hinc leporem.

De Pauone querulo penes humilẽ dñm

Cum tibi natura sit & usu stẽma negatum:
Te Iunonis auem miror habere domi.
Illius assiduos audit uicinia questus:
Magnificum poscit pauo superbus herum.

Ad clericum quendam

Clerice musarum dum captus amore fuisti:
Assidue mecum pene molestus eras.
Nunc autem cessas: & musam deseris & me:
Dum soli uiduæ nocte dieq; uacas.
Diceris o felix huic acceptissimus esse:
Ni caueas: ægræ febre calebis heræ.

De Christoforino

Christoforinus habet melius puto Pectore tergũ:
Ante reformidat: tela: subitq; retro.

Ad fratrem Iacobum Rosatum.

Nuper in Eustachiis inuenta numismata cãpis
Accipe: maiorum qui monumenta colis.
Mitteret argenti multoq; libentius auri:
Aerea qui mittit sex Iacobe tibi.

Iustum non deseri a deo.

Deseruit nunq̃ iustum deus: ipse tyramnis
Eripit: & miserum non sinit esse diu.

Ad fratrem Carolum aduocatum

Ora geris prima nuper signata iuuenta:

Tam bene qui populum Karole sacra doces.
Quid facies canus iuuenilibus o sophos annis?
Mirari nequeo te:nec amare satis.
Ad eundem
Quod raris est maior honos & gratia rebus:
Quam quibus affluimus:copia nēpe nocet.
Carole diuini uerbi clarissime præco
Audio doctrinam rarius ipse tuam.
Inueni pater unde mihi preciosior esses:
Sed uereor ne sim uilior inde tibi.
Ad eundem
Accipe pieridum pater emolumenta mearum:
Nam mea non semper musa cicada fuit.
Ad eundem
Arte coci dignum spreuisti Carole piscem:
Phyllidos exutas cortice sume nuces.
Ad Ioannem Lunatum Sacerdotem
Quid ualeat uirtus intelligis a'ra decusq;
Cum patriæ nactus nuper amore tuæ.
Hanc igitur semper cole mi Lunate sacerdos:
Tu potes ingenii cultor:& esse dei.
De uirtute
Aspera principio uirtus:& amara uidetur:
Parta uoluptatem:dumq; paratur haber.
Est ergo medicina grauis:tamen ille per illam
Sæpe ualere solet deliciisq; frui.

Quis uere sapiat
Scit multum quicunq; parum sibi scire uidetur:
Scit qui scire putat se nimis ille minus.
Scire suum qui scit semperq; ostendere nouit:
Ille quidem uere plus aliisq; sapit.
Ad Antonium Codicum
Nascitur Antoni modicus Ticinus:& Idem
Labitur immodicus per Papiense solum:
Sic in amicicia nostra confido futurum:
Si deus annuerit:quæ noua fiet anus.
Ad Constantinum Ticionum
Constantine tuo studio comes unde uocaris:
Si fuerit uirtus:accumulatus eris.
Ad præsulē Nouariēsem Palauicinū.
Ter uenerande potēsq; senator:Marchio:Præsul
O Palauicinæ gloria magna domus.
Ter uir adit doctus bis Apollinis assecla:uates:
Et medicus præstans:ut sit uterq; tuus.
Hunc tibi commendo:donec sua plurima uirtus
Nota tibi fuerit:cuius amator eris.
Per te perq; tuum fine sit tuus oro parentem:
Cuius ut Herois nomen:& ossa colo.
Ad Antonium Ferrarium Robianum.
Antoni tua de duro cognomina ferro
Prorsus ab ingenio sunt aliena tuo.
Chryseus huius eras potius splendore uocādus.

Sentire hoc de te me tua musa facit.
Ne ualeam: si non antiqui temporis illam
Crediderim: titulo si uiduata foret.
Iustius ah quanto musarum propter honorem
Te laudatorem miror: amoq; meum.

Ad Lafrancũ ex Sancto Nazario physicũ.

Non possum non esse tuæ uirtutis amator:
O Iuuenis medicos inter habende senes
Non audita mihi sunt ipsa pericula: uidi
Hic ope semineces eualuisse tua.
Commendare tibi nostrum non audeo uatem:
Ne uidear morem dedidicisse tuum:

Ad Io. Antonium Nouariensem physicũ.

Non tibi solus adest medicinæ inuentor Apollo:
Et Citharæ: sed amat te simul alma Ceres.
Vnde lucrere: uenit tibi plurimus æger ab illa:
Hanc seu turba metit rustica: siue terit.

Ad Iacobum uagnonum

A medico Durni præstante tuoq; meoq;
Accepi febrem corpus habere tuum.
Idq; fero grauiter: sed tu dum febre laboras:
Ocia da musis: iussaq; fac medici.

Ad eundem

Noctis aues qui dat tibi carmia portat Athenas:
Sic est: o uates accipe uatis opus.

Ad eundem

Cur Iacobe tuæ comes est insania musæ?
Tu decoras uates: dedecorasq; sacros.

De Eodem

Si sibi constaret uates puto uincere posset
Hic alios uati phoebe medere tuo.

Ad Io. Lunatum Sacerdotem

Non potes insani numeros æquare poetæ:
Et te discipulum non pudet esse meum.

Ad Iacobum poetam

Pondere non numero censentur carmina uates:
Tu potius paucos ede grauisq; modos.

Ad Petrum Codaciam

In quibus uxor anus tua uitam Petre reliquit
Ante tuos oculos rodero semper aquas.
Sed si parua licet summis componere: coniunx
Est etiam nostro rapta puella duci.
Ille tamen uiuit sapiens: & ad omnia fortis:
Principis exemplo tu quoq; uiue precor.

Ad Guidonem Antonium
Arcimboldũ Archiepm Mli

Scipiad' currum comitatus culeo sumpsit
Pilea significans unde redemptus erat.
Magne dei cultor: Præsulq; metropolitanæ
Altera nostrorum dextera sacra ducum.
Vir tibi commissus nostræ Arcimbolde sororis
Vult ope seruatus pilea ferre tibi.

Nos autem de gente tua uenerabimur instar
Te diui Ambrosii: quatenus istud agas.

De Certamine quodã p ludũ celebrato Mñi

Pulchra per Insubres Martis simulacra geruntur:
O utinam semper talia bella gerant.

In Thomam leuem repertum

Fautor eram Thoma tibi credulus esse leporem:
Inueni leporem te male grate mihi.

Ad Apolloniũ Nibiolã Garlaschi p̃torẽ

Plena lepore libens legi tua carmina prætor:
Viuere te memorem testificata mei.
Tam bene nostra tuæ certaret musa Camoenæ:
Quam bene noster amor certat ubiq; tuo.
Si qua ualet iubeas ab Apolline dicte Platino:
Nunq̃ prætura tu mihi functus eris.

Ad Donatum Buscam Bergomensem

Esse per undecimam scribis Donate Sybillam
Nil mihi: quam zeno me penes esse refert.
Falleris: illa tuos uersus me nacta legentẽ
Iste bis in quinto carmine peccat ait.
Ille nec est inquit qualis sibi zeno uidetur:
Hæc undenia mihi scire Sybilla dedit.

Ad eundem

Omne relinquo tibi nostrum Donate duellum:
Ne foueam litem: quæ sine fine foret.
Cum palmam neuter tulerit certaminis huius:
Inter nos uitulam dimidiare licet.

Ad Præsbyteros Garlaschinos.

Quod precibus uestris conceditur ab Ioue nullis
O Garlaschini mittite presbyteri.
Poscite pro pluuia solem pro nube serenum:
Sic ite orantes: hac ratione pluet.

Andreas Bergmidiis sacris renunciat

Diuini cultus & mystica sacra ualete:
Cumq; tua frater relligione uale.
Vos procul hinc aræ: procul ædes este sacratæ:
A puero uester satq; superq; fui:
Donec ephoebus eram: uos hac ætate relinquo:
Qua iuueni cœpit pungere barba mihi.
Castra sequor Veneris primo correptus amore:
Vito sacerdotes: quæro sodalicia.
Plus & amica ualet noua: quã pia mater apud me
Tibia si increpuit gestio: salto: cano.
Me tamen in medio tristem facit illecebrarum
Cura memor sanctam deseruisse uiam.

Distichon macharoneum ad Siclerium

Chauigioneum si pergis ludere ludum:
Tu quoq; sicleri chauigionus eris.

Loqtur diuus Boetius ĩ æde Garlaschia pictus

Cum sim romanus scriptorq; Boetius extans:
Cur ego Garlaschi barbara uerba loquor?
A ut qui me pinxit: uel mandans ipse uel ambo

Nil sapiunt:lector Consule docte mihi.

In quendam fallacem

Gens tua mauritia est cognomine:tu potius re:
Est tibi:quem nondum nomino: maura fides.
Turpis amice tuas ego possum dicere sordes
Expertus linguæ subdola uerba tuæ.
Quid tibi cum libris? aliam colis aptius artem:
Bibliopolarum pessime uende lupas.

Ad Franciscum Lanceam

Ortygas ut græci dicunt cum dulcibus uuis
Das Francisce mihi Lancea:sumo libens.
Talis & ipse meum de carcere sume libellum:
Nec mea dona putes inferiora tuis.
Quid puero melius q̃ dulce piumq; poema?
Proderit ad mores:ingeniumq; tibi.

Ad Patruum

Dum mea solus ago:sextercia mille dedisti
Tu decies fisco patrue parce mihi.

De quodam Iactabundo

Sæpe suum quidam gentilem nominat:& se
Ridiculum multis non uidet esse locis.
Ridetur quoniam dominum uocat ille Ioannē:
Qui dominus pauper nulla tenensq; fuit.
Ridetur pariter:quod cœtu narrat in omni
Huic sua Facinum signa dedisse canem.
Et dixisse tui ponas in culmine tecti:
In qua parte domus? cui sua nulla fuit.

Ad fratrē Angelicū diuini uerbi præconē

Accipe pieridum cum pignore dona mearum
O pater Angelice nomine digne tuo.
Te ueneror tacitus:ne te mea musa fatiget:
Assiduam mentem cuius olympus habet.

Ad Donatum Turrianum

Mene iubes in te musas armare:tibiq;
Vt mihi rescribas:scribere me ne iubes?
Vis ut ameboeo certemus carmine primum:
Deinde Lycambeo :uel sine felle magis?
Dic quo certandum sit pignore? quis ue Palemō
Noster erit? quiduis ingrediare:sequar.
Scribo tibi nondum grauiter cōmotus ut hosti:
Pro Vistarino tu licet acer agas.
Pupillum:uiduam:ius ipsum deniq; ledis.
Ferrū quo turris deiiciatur habent.

In eundem

Veger es:& uelles fortissima turris haberi:
Non tibi cognomen quadrat amice tuum.
Versiculi lyrulam:mora prodidit ingeniolum:
Partu elephantino scribis inepta mihi.
I nunc:& spera de nostro carmine palmam:
Scilicet inferior ansere Cignus erit.

Ad Franciscum Faletum.

Si biberem tot as Elyconis iugiter undas:

Non essem meritus maius amice sophos:
Quam mihi tu tribuis nimio deceptus amore:
Primo congressu iudicioq; nouo.
Attamen ipse geram morem tibi: sed sine phœbo
Carmina sollicito pectore facta leges.
Nicoleos huc me nam Vistarinus agentem
Germanæ causam traxit ad arma fori.
O utinam quod eris:nunc esses:& mihi posses
Iurisconsultam ferre patronus opem.

Ad Ambrosium Botium.I.C.

Est Iacobinæ clarissime doctor honestæ
Commissa Ambrosi Botie causa tibi.
Audierat matrona tuum nomenq; secuta est
Consilio gentis totius usa suæ.
Non te pœniteat causæ:non pœnitet illam
Iudicis:integritas est tua nota procul.

Ad Benedictū ex capitaneis ex arzago.I.C.

Sum benedicte tibi miro deuinctus amore
Nomine uirtuti conueniente tuæ.
Iuris es Interpres doctissimus:& prope Sanctus
In tota uita diceris esse tua.
Noster pupillus nimium uexatus habebit
Iudice te integro Ius Benedicte suum.

Pro Pompeio Castilioneo
ad almam Virginem

Pompeius decus hanc are pro patre tabellam
Virgo tibi posuit filius alma pius.

Aliorum exempla nostrā esse cautionē

Multum exempla mouent:alienos aspice casus:
Vna ratis tutas naufraga mille facit.

Inuito deo nihil recte agi

Quem deus odit:agit res infœliciter omnis:
Iuppiter in furno grandinat huic cererem.

Bonis Lectionibus esse uacandum

Carmine seu prosa scribas:in utroq; ualebis:
Si legis assidue res in utroq; bonas.

Artem oportere scriptori seruire.

Ars oratorem uatemq; sequatur oportet:
Non aliter stilus commodus esse potest.

Omnia Virgilium continere

Qui bene Virgilium scit solum cuncta canentē:
Omnia se doctum dicere iure potest.

Laus Ciceronis ex Quintiliano

Per doctum merito uoces cum:quem
Delectat cicero Monarcha prosæ.

Habendam esse loci rationē in agēdo

Causa forum sequitur:morē quoq; pragmaticoꝝ:
Si fueris Romæ:moribus urbis agas.

Homines in tempore adeundos.

Conuenias homines in tempore:sæpe molestos
Intempestiuum nos facit officium.

De ferino uictu rusticorum

Sæua fames hominē mō gramina cogit in agris
Mandere: iam Brutis annumeretur homo.

Ad Hieronymum Castilioneū. I. Cons.

Quod tibi uersiculos octo post octo Calendas
Mittere distulerim: displicuisse potest.
Sed culpare moram non est Hieronyme: culpa
Quæ caret: officium tempus in omne iuuat.
Est aliud peius merito culpabile: cuius
Me pudet: atq; piget: ꝙ rude carmen erit.
Vnde tuis impar meritis: magniq; parentis
Quam rude de uobis scribere malo nihil.

Ad Io. Stephanum Eustachium

O uir magnifice: & colende salue:
Fecisti similem duos uidenti
Soles endechasyllabo tuo me.
Nil argutius elegantiusq;
Me legisse nouum recordor unq̄:
Nec quicq̄ melius: licet notarim
Producta nisi syllaba priore:
Sed plures ubi sunt nitentq; gemmæ:
Offendor maculis nec ipse paruis:
Id quod rite refert in arte Flaccus.
At tu da ueniam sui Mineruam
Audenti instruere: in bonamq; partem
Istud accipe: carminiq; nostro
Impertire uicem rogo fidelem:

Quam scis esse boni referre amici:
Quæ uero tribuis mihi per unum
Tornatum male distichon: rudemq;
Prosam: quando quidem nec hæc nec illud
Vngues: ut tua denotant remorsos:
Nec pars una quidem mihi est eorum:
Te decœpit amor mei profecto:
Aut mecum puto te iuuat iocari.
Quod te sero m hi dedisse scribis
Responsum pedis imputans dolori:
Non odi morulam: execror podagram:
Vt qui te cupio ualere semper.

Ad eundem

Quæ mentita tuum mihi nomen epistola uenit:
Nil habet ingenii uir generose tui.
Tu loqueris raro: tu non prorumpis in iram:
Tu grauis illa dicax: atq; superba fuit.
Ad mera prosiluit subito conuicia feruens:
Vnius uerbi simplicitate mei.
Vtq; Moeneciades armis indutus Achillis
Non potuit tantum persimulare ducem:
Personam sic ille tuam perferre nequiuit:
Nomine qui uoluit se decorare tuo.
Multum doctrinæ præ se fert atq; leporis:
Sed nimium scribens arrogat ille sibi.

Ad Ludouicū Ticionū Decimæ dominū.

Accepi si tanta tuis solatia uerbis:
Quid faciam rebus? tu Ludouice puta.
Ad Petrum Paulus non inflammatior iuit:
Quam cupio uultus ipse uidere tuos.
Tu facis esse tuum cognomen lampada claram:
Et tua te uirtus euehit ad superos.

Ad Innocentium Manentinum

Ad tuum nomen facit Innocenti
Musa: quæ blande nimium pieq;
Me salutauit tua: gratiosi
Plena leporis:
Et tuam credo redolere uitam
Nomen & musam: similemq; nostro
Te sacerdoti reor esse Marco:
Cuius es hospes.
Me tibi certe placuisse lætor:
Sed sacro Guallæ tribuo: colamq;
Te cum eo: tu me iubeas auere
Carmine crebro.

Ad Io. Lunatum Sacerdotem

Hostis es immerito factus mihi Chare sacerdos:
Non caret obsequium suspicione tuum.
Corporis ancillam uasti dare uis mihi paruo:
Scilicet ut uiuum me Poliphema uoret.

Ad eundem

Qua incæraretur mea uestis serica sutor
Candelam petiit: admonuitq; tui.
Cui permulta foret: nam cæram: prandia: nūmos:
Funera presbyteris exequiæq; parant.
Protinus ancillam tibi misi Chare Sacerdos:
Tute candelæ dicis habere nihil.
Arida postridie per eandem ligna requiro:
Tute lignorum dicis habere nihil.
Cum nihil ipse rogo nil te non dicis habere:
O amor: ipse tamen te reor esse meum.

De Cane truci omnibus hospitibus præterq̃ doniferis

Noster atrox aliis uacuis huc dona ferentes
Si uidet ire: canis plaudit: amare putes.

Tritum uerbum

Quæ semper fallunt homines incognita nulli
Sunt iuges pluuiæ: fœmina nuda: merum.

In [redacted] foetidum

Vaccarum bipedum Franciscus fœtidus actor
A uacca potius: quam uice nomen habet.
Nunc uaccarius est: erat ante uicarius: istum
Pro prætore suo iura sedere uetant.

Ad Iacobum Marotum Sacerdotem

Humanista sua non est alienus ab arte:
Nam studia in mores ipsa libenter eunt.
Te propter plenum fastus hæc regula fallit:
Aiunt te doctum: me dubitare facis.

Detexi caput ipse meum tibi prætereunti:
Visus enim fueras dignus honore mihi.
Tu mihi quem Satyrus carpit: Veiento fuisti:
Cur non reddideris dic Iacobe uices.
Non est crede mihi tutum contemnere uatem:
Cuius amiciciam uir bonus omnis amat.

Ad Collam iudicis Roberti

Et uetus & tritum (si te latet) accipe uerbum
Colla: mihi qui non charior esse potes.
Presbyterum facias: asinum prodire uidebis:
Si non es uulgo credulus: ecce fides.

Epi. Laureæ Quartariæ

Laurea pulchra suũ Quartaria corpus honestũ
Hic habet: hic facies illa uenusta iacet.
Cuius erat passim Sincæri fama decoris:
Et proba tam mulier q̃ speciosa fuit.
Fida suo uixit semper dilecta marito:
Nacta uirum similem nobilitate sibi.

De Martha Bergundia

Si qua polum meruit uiuendo fœmina sancte
Austeram uitam relligionis agens:
Martha fuit certe Bergundia: uel puto nulla:
Gloria Garlaschi: nomine digna suo.

Ad Io. Lunatum Sacerdotem

Angor uti de Fratre tuo tu Chare Sacerdos:
Fraternum casum quis neget esse grauem:
Sed qui ferre tuum deus esse Helponora fratrem:
Noluit omnino: crure ualere dabit.

Ad Ioannem Portalupũ Clericum

Gaude Ioannes: facies bona carmina paruo
Tempore: Ioannes tu meus alter eris.

Ad eundem

Tædia pieridum iam te cœpere Ioannes:
Deserere incœptum uelle uideris opus.
Si sic est: & me cum musa quæso relinquas:
Absq; illa gratus non potes esse mihi.

Ad eundem

Te fecisse reor uersus hac nocte Ioannes
Somnifuga uigili lectiuagoq; tibi.

De eodem

Per quæ non potuit noster dormire Ioannes:
Ista fuere simul mentula: musa: fames.

Ad Benedictum Stratam

Nomen habes Benedicte bonum: sed uerba poete
Si dabis: amittes: & maledictus eris.

De eodem

Forsitan anguillis Benedictus in urbe trutisq;
Vescitur: hic porrum meq; lupillus alit.

De eodem

Sit Benedictus eo Benedictus nomine dignus:
Qui tandem rediit nec mihi uerba dedit.

In diuites annonæ caritatis auidos

Sunt pulchræ Segetes:& paruo ānona paratur:
Hoc anno laqueum diues auare petes.
De Corpore Christi Sacrato.
Post tempestates dira cum grandine nigras:
Heu nimium rebus quæ nocuere satis.
Cum nec sacra quidem superis accepta fuissent:
Et spes agricolis omnis adempta foret:
Imposuit finem pluuiis:solemq; reduxit:
Qua circumfertur hostia Sancta dies.
Sol ætherq; suum factorem cernere gaudent.
Corpore quid Christi dignius esse potest?
Ad Io. Antonium Ponzonum
Iuris Cons. Mediolani ꝑtorem
Cum facerent binos epigrammata nr̄a libellos:
Exitetq; meas iam liber iste manus.
Erubui tanq̄ culpæ mihi conscius essem:
Ipse ꝙ in chartis non legerere meis.
Non quia possim æuo quenq̄ donare peremni:
Vt potuit scriptis Apion ille suis.
Sed quasi amiciciam uiolassem turpe putabam:
Quod non extaret carmine noster amor.
Cum magna uirtutē tua clarissime prætor
Digne magistratus fine carere tui.
Ad Io. Thomam Platum patruum
Vt campanizet meus in compage libellus:
Patrue Campanum sæpe requiro tuum.

Tu nimium differs ad me dare:ne scio quare:
Nunc age Campanum patrue mitte mihi
Ad fratrem Paulū Sancheum Arago
nium ordinis predicatorum
Tu mihi das:aliisq; frequentibus aurea poma:
Pulpita mane pater cum resonare facis.
Ipse uerecundor tibi uilia mittere mala:
Tu capias animi pignora Paule mei.
Ad eundem
Quod me Garlaschi tua lingua freque͂te popello
Nominat:& recitat carmina sæpe mea.
Cum tua gemmarum sit contio:plenaq; florum
Glorior:& nimium debeo Paule tibi.
De eodem
Quem tot acerba tulit noster Saluator Ihesus:
Cum paulo quis non commemorante fleat?
Ad lectorem de ætate sua
Lector ad undecimum produxi stamina lustrum
Corporis ac animi uiribus acer adhuc.
Tempora me segnem faciunt:& pigra senectus:
Sed mihi crede magis tempora:q̄ senium.
Ad librum suum.
Omnibus antiquis assurge libelle poetis:
Quemlibet ut dominum fac uereare tuum.
In quibus esse tibi liceat:si forte licebit:
Quære liber uates ambiciose nouos.

De duobus tyramnis & se

Ne quis forte putet me rem fecisse paternam
Turpirer exiguam:quæ mediocris erat:
Hoc duo crimen habent:qui me rapuere:tyramni:
Dissimiles matri:dissimilesq; patri.
Ambo dedere mihi solatia:raptus uterq;:
Hic a ciue domi:frater ab hoste foris.
Sed non inuideat cuiq̃ pia musa Beato:
Hæc facit ut uidear Regulus esse mihi.

De Sua studii Iucunditate.

Pinguescunt somno glires:rituliq; marini:
Me pinguem fieri sentio per studium.

De Pueris ruri musæ molestis

Ante colonorum mea ludunt hostia nati
Quottidie:quorum iurgia ludus habet.
A clamore graui ueniunt ad uerbera crebro:
Inq; uicem ridẽt:flentq;:patresq; uocant.
O quantum stndii:quantum mihi carminis ista
Ex importuna garrulitate perit.
Cerno boues mugire:sues grunnire:rotasq;
Stridere plaustrorum:clangere cortis aues.
Non possum ante fores hanc turbã ferre loquacẽ:
Triste facit ludi quisq; magister opus.

Ad Lectorem

Vt bibit interdum mensa conuiua remota:
Nec sitit:inuitat quem suus hospes adhuc.
Adde fatigatus mea sic epigrãmata lector:
Iamq; uale dicto quattuor ista tibi.

Ad Io. Iacobum Triuulcium
Vigleuani Marchionem

Librum si nunq̃ legisti mitto legendũm:
Brachius est in quo scriptus ubiq; tibi.
Quem patrui donare mei tibi (si placet) ausim:
Si placet illius nomine dono tibi.
O utinam tali rerum scriptore tuarum
Historiam firment tempora nostra tuam.
Huic ego contestem princeps Iacobe paraui:
Passim ubi cum titulis inueniere tuis.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Quod tibi campanum campano reddo minorẽ:
Sum dignus uenia patrue:crimen abest.
Noster habet reliquum Triuulcius:& legit:& scit
Esse tuum:princeps optimus ille dabit.

De eodem mortuo

Diues opũ patruus domui bona pauca reliquit:
Plurima pauperibus præsidibusq; suis.
Agnitus est in morte malus:bonus esse uideri
Dum cupit:Empedocles talis in igne fuit.

Ad Scaramuciam Triuulcium Illustrẽ. I. C. Cornu Veteris antistitẽ.

Si curant superi sua numina rite colentem:
Si nunq̃ sanctum deseruere uirum

Raraq; si uirtus habet ullum Sydus amicum:
Si probitas aliquid nobilitasq; ualent:
Ille tuæ domui Scaramucia pileus ingens:
Gloria purpureus mox:tuus alter erit.

Ad Dulcinum

Bis Dulcine sacer pie flamen & optime uates
Vltimus in libro ser precor esse meo.
Sæpe duces aciem uidi firmare:locando
Postrema fortes in statione uiros.

Platini Plati patricii Mediolanensis profugi Liber Secundus postpositus cum tamen tpe præcedat:sed eo secundus:quia sit ille Serenissimis Charolo deinde Ludouico Francorum Regibus Christianissimis Inscriptus.

Sub Aduentu Natalis Christiaui Ferrariæ

Q uam iuuat in tuto ueterum meminisse malorum:
Et nigrum niueo composuisse diem.
In qua luce fuit natus de Virgine Christus:
Asseruit mundum cum deus ortus homo.
Illius admoneor miseræ quam flebilis egi:
Inq; moguntino carcere lucis inops:
Vt dederim pœnas insons:& alumnus iniquas
Nouistis superi:qui tribuistis opem.
Q uam mihi dissimilis Natalis tercius hic est:

Dulcis in Estensi magnificusq; domo.

De Hercule & Sigismundo
fratribus idem sentientibus

Vt sibi concordes æterno fœdere cedunt
Lucifer & Titan exoriente die.
Sic gemini fratres una duo sydera regnant:
Mutuus amborum pectora sensus habet.
Cuncta Sigismũdus molitur ad Herculis usum
Et decus:Alcides fratris ad arbitrium.

Ad Titũ Strozam poetam clarissimũ

Cum te pulchra suum Ferraria nolit abesse
Splendorem cithara nec caruisse tua
Dic Tite:cur absis:quid ames ascribere rurit
Ciuem :equitem: uatem quærere cogit amor.
Nunquid ut arua colãt te duri istãte coloni?
Non facit ad clarum rustica uita uirum
Sunt ne uoluptates & amœni gratia ruris
Alliciant quæ te:detineant ue refer?
Q uartesana tibi est Senecæ præclarior hortis:
Ex auro & Pario marmore limen habet.
Non ea te retinet:domus hic tibi cõmoda seruit:
Nec iucunda minus:forte superba magis
Hic generosa tibi coniunx infansq; decorus
Coniugii pignus deliciæq; tuæ.
Adde q; hæc omnis choreis & cantibus urbs est:
Laruarumq; sonis atq; referta iocis.

Forte Sophocleo canitur tibi digna cothurno
Res in secessu liberiore lyra:
Hoc nihil accusem:sed eunt uberrima passim
Flumina pieridum magne poeta tibi.
Q uod iã rumor ait:quod fida subambigit uxor:
Non Tite rem curas:nec modularis:amas.

In Aeglogam eiusdem

Q ualis oues inter patulaq; sub arbore lentus
Mulsit arundineo Tityrus arua sono:
Inflanti calamos cui concessere canori
Archades:innumeri quem stupuere greges.
Fleuit ut extinctum:quem flerunt oĩa Daphnim:
Et dedit esse nouum sydus in arce poli.
O Tite tale tuum carmen:tua fistula talis:
Tertia de Siculo carmine palma tua est.

Ad Comitem Matheum
Mariam Borardum

Intempestiua licet utar arundine tecum:
Cum uagus occultans ora frequenter eas:
Resq; sit in fidibus lasciui prorsus amoris:
Non in Apollineis pieridum ue choro:
Non tamen accipies animo Matthæ superbo
Carmina nostra suo non tibi missa die.
In tanta uirtute uiro cum diuite censu
Credo supercilium iuris habere nihil.
Tu simul omne colis studiũ modularis eburno
Pectine:dicendi tu genus omne tenes.
Dum loqueris:cum uoce rosas a pectore mittis:
Særiaq; & dulces fundis ab ore iocos.
Intempestiuæ ueniam dabis ergo thaliæ:
Carmine quæ nostram sancit amiciciam.
Redde uices in amore precor:dignareq; nobis
Scribere:cum ueneris blanda palestra sinet.
Ardeat o sic te rutilanti saucia tælo:
Q uæ te urit:domina sic potiare tua.

Ad Baptistam Guarinum

Est hominis proprium tempus:si nouerit uti:
Cætera fortunæ dant adimuntq; uices.
Ergo ne turpi pereant mihi tempora luxu
Palladias artes Mars ubi cessat amo.
Iñ quibus excellis Baptista Guarine propago
Vera patris:cui tu lumen & ille tibi est.
Veronensis enim uiuent monumenta Guarini:
Donec humus segetes & feret astra polus.
Tu uero patriæ uirtutis alumnus & hæres
Illustrem sine te non sinis esse patrem.
Aduena librorum cui non est ulla supellex:
Q uo delecter opus te rogo mitte mihi.
Siue tuo fuerit uigilatũ siue paterno
Ingenio:prisci codicis instar erit.

Ad eundem

Nũper ego ingemui Baptista Guarine relatũ

Cum fuit uxorem te mihi flere tuam.
Ni tibi (disperam) uolui solator adesse
Protinus in Luctu: sed simul eger eram.
Vt me collegi scripsi: rogo uulnus acerbum
Parcarumq; nefas ut ratione feras.
Vt doleant homines aliquando humana requirit.
Conditio: uirtus est adhibere modum.

Ad Ludouicum Pictorium

Quod mea Baptistæ non rustica musa Guarino
Visa sit: ut scribis tu Ludouice mihi:
Gaudeo: supremumq; mihi decus aebitror esse:
Et titulos omnes exuperare puto.
Non secus ac si me commendent ora Maronis
Vel data sint capiti laurea serta meo.

Ad Franciscũ Bentium physicum clarũ

Benti principibus medicinæ æquande uetustis
Qui eito fers ægro: si tibi paret opem.
Accipe dona mei fratris: quem febre leuasti:
Hæc tibi de uenetis ostrea misit aquis.
Pignora sunt animi grati: simul accipe binos:
Quos ego cnm fratris munere mitto capos.
Ad meritũ quid utrumq; tuũ: Francisce memẽto:
Non aspernari dona minora Deum.

Ad Io. Thomam Platum patruum

Patrue plus æquo tacui charissime tecum:
Nec mihi tu cedis: scribit uterq; nihil.
Mutua sint oro ueniæ commertia nobis:
Sit leuior quis: q̃ tibi culpa mihi.
Magnifici scribis fateor decreta senatus:
Non caret illa tamen turba seuera iocis.
Solueris in risus cum dulci sæpe Cribello:
Et lepidos ambo cogitis esse patres.
At me pugnantem cum fatis: & procul actum
A patria semper cura laborq; tenent.
Degener ad uestras ne forte renuntier aures:
Nitor & in magnis nomen habere locis.
Herculea iuuat ire uia: nec me ardua terrent:
Nutrit honoratus fortia corda labor.
De te iure mihi tacito mœrere licebit:
Fortunamq; meam non tua facta queri.
Non potes omnino cœpisse obliuia nostri:
Nec temere mecum Plate diserte siles.

Ad Ɐnastasiũ. Platũ fratrẽ iuris Cons.

Sæpe dedisse tuas ad me germane tabellas:
Nec potuisse meas elicuisse doles.
Et quereris de me grauiter sermone diserto:
Mutatumq; putas immemoremq; tui.
Meq; (quod indignor) reris q; uocasq; superbum:
Par etiam scribis uelle referre pari.
O modicæ fidei: scio me superasse laconas
Officiis in te pignoribusq; meis.
Ante colonus agris &: deerunt arua colono

Ante mari puppes:puppibus ante fretum:
Quam labare meo de pectore:q̄ meus in te
Magnus Anastasi comminuatur amor.

Ad Blancam estensem Galeoti
Mirandulæ Principis uxorem

Blanca tuo nomen niueo sortita colori
Et par Ingenio:par animoq; tuo.
Docta (quod est rarum) græce:pariterq; latine:
Coniugis & sceptrum ferre perita tui.
Inclyta Nicoleis Estensis & una sororum
Herculis:o sexus gloria magna tui.
Salue cura deum:qui te iunxere potenti:
Formosoq; uiro:morigeroq; tibi.
Tot bona cum tibi sint extra:studiosa tulisti
Palladis:& phoebi maius alumna decus.

In clangularium quēdam diffamatorem
Pudicitiæ patriciæ Ferrariensis:

Iura pios armant aduersus atrocia facta:
Præclarumq; bonis est agitare malos.
Ergo tot in claras matres odisse nurusq;
Debeo fure tuum quisquis es auctor opus.
Irasciq; tibi pro tam furialibus ausis
Cogor:& ignotæ scripta notare lyræ.
In quibus esse tuum male dicere nouimus oēs:
Quodq; lupanari nocte dieq; uocas.
Ebrius hæc illic ructasti carmina forsan:
Pro musis olidæ te docuere lupæ.
Aspirare tibi Phœbum:doctasq; sorores
Nemo putat doctus:carmine teste tuo.
Quam rude:q̄ fatuum sit omitto:lacessere miror
Vrbem te uatum:Stroza ubi cantat olor.
Scilicet anser eam terram sermone lacessis:
Vis unde eloquii prisca reuixit & ars.
Ausus es illustres Ferraria quas habet omnis
Carpere matronas:& lacerare nurus.
Improbe quas oneras probris:ego laudibus orno
Qui sapit hic omnis sentiet hospes idem.
Et nos Italiæ præclaras uidimus urbes:
Aduena non alibi malo domicilium.
Principis ut sileam laudes:aulamq; superbam:
Gymnasiumq; frequens:egregiosq; uiros:
Templa:domos:arces:fora lata:suburbia læta:
Et phaetonteum mœnia adusq; padum.
Nobilis est omni cultu Ferraria:non est
In qua fœmineum gloria parua genus.
Ingenio formaq; ualent:genioq; puellæ
Dant operam:salua quæq; pudicicia.

Ad Herculem Ferrariæ Ducem

Monstra domi nunq̄ domuit Tyrinthius heros:
Iussus ad hæc ibat conficienda procul.
Tu geris iniussus præclara domiq;:forisq;:
Aemulus ille tuus præmia digna tulit.

Interiere simul socii commissa luentes:
Stultus in Alciden quisquis ad arma uenit.
Proditio:nec uis obsunt tibi.q̃ prope fata
Herculis antiqui sunt eademq; noui.
Loquitur bombarda
Si quaterem cœlum:per me caperetur olympus:
Hercule sum forti principe digna meo.
Ad Alphonsum Calabriæ Ducem.
Dux Alphonse licet sis usq; ad sydera notus:
Fama tamen meritis est minor ipsa tuis.
Vidi quantus equo sedeas:& pulcher in armis:
Vtq; tuam deceat pelias hasta manum.
Quanto sufficias o dux Galeate labori:
Vtq; trabes omni fregeris hippodromo.
Quanta sit ars:ususq; tibi nunc ora ferire:
Nunc summum clypei:sat data palma docet.
Ad Federicum Vrsini Ducem
Forte simul fuerant annusq;:liberq; peracti:
Omnino calamum depositurus eram.
Intermissarum pia turba repente sororum
Circumfusa mihi perfice dixit opus.
Vnus adhuc superest(Helicona reuise)canẽdus:
Nos iterum dabimus plectra Platine tibi.
Estensem Calabrumq; duces modulate:subinde
Principis Vrbini fortia bella canas.
Tu ne ducem uenarate diu nũc catmine fraudas:

Igne ne de ueteri nulla fauilla tepet;
Quo ducis inuicti meritorum summa recessit?
Denique quo ratio laudis habenda tuæ?
Carmina res ornant illustres:ut sata campos:
Sacra sacerdotum pontificumq; manus.
Parua tuo nec enim ueniet Plate fama libello:
Hoc reliquum lumen si latiale canat.
Adde q; Alphonso non uiuit amicior alter:
Mutua quottidie pignora multa uides.
Finierant:ego pieridum mandata peregi:
Accipe de gestis carmina pauca tuis.
Et mihi da ueniam uatum labor antiquorum:
Si gracili uersu te Federice cano.
Ad Laurentium Medicem
Si tibi Laurenti Princeps regionis Hetruscæ
Reddita iam pridem littera nostra fuit:
Obtinuisse tua commendatrice tabella
Scis apud Vrbini me mea uota ducem.
Cum nequeam dignas ergo tibi dicere grates:
Cumq; referre minus:semper habere uolo.
Quod superest:oro:ne me tua deserat ingens
Gratia:qua profugus glorior:atque fruor.
Ad Sixtum pont.maximum
Sixte biclauigeri successor Idonee Petri
Pontifici quercu conueniente tua.
Quæ iouis est arbos:& aristas ante repertas

Glandibus humanũ pauerat omne genus.
Non ausim fari:modereris ut omnia recte:
Nec cæleste tuũ dogma sophosq; loqui.
Magni uatis opus:sat erit mihi dicere solum
Magnifice factum nuper in urbe tuum.
Mille modis almæ subeuntem mœnia Romæ
Vrbini memorant te decorasse ducem:
Nil dare plus poteras:aut ulli plura merenti:
Dux meus amplificat credita regna sibi.
Filia nupta tuo Federici ex fratre nepoti:
Crede mihi sistet remq; domumq; tuam.
Tu modo nostra salus o sancte Vicarie Christi
Viue diu:nil nõ qui ratione facis.

Ad Federicum Vrbini Ducẽ

Pacis & armorũ dux o Federice magister
Virtutẽ fateor pandis ubiq; tuam.
Nõ tamen hæc afflat mea pectora tã procul: oro
Admoueas aulæ me Federice tuæ.
Appignana meos habeant magalia seruos:
Arma & equos:habeat me tua cælsa domus.
Scis:ut apud magnos heroas obiuimus olim
Munera militiæ:res pariterq; togæ.
Hoc tibi uel nulli præstabimus inclyte princeps:
Si mihi concedis te penes ipse locum.

Ad Octauianũ Vbaldinũ Federici fratrem

Si bona seruorum dominis obnoxia fiunt:
Acquiritq; suo non sibi seruus hero:
Me quoq; confiteor uobis hac lege dedisse
Omnia:quæ mea sunt:&nihil esse meum.
Carmen Vbaldinus sibi:nostra Feretrius heros:
Dum mereo ductu uendicet arma suo.
O decus Octaui Federici fratris:& alter
Spiritus:Ausoniæ gloria magna togæ:
Nolo:nec est æquũ:uel inanes edere nugas:
In quibus amborum non habeatur honos.
Sed qui te digno donare poemate quærit:
Ille tibi mittat arma:uirumq; cano.

De Guidone Federici filio

Sicelides musas apud inclyte Guido Maronem
Mens mea fert ortum significasse tuum.
Destinat omnipotens in nostrũ limen ituras
Illustres animas tempore quamq; suo:
Cui tua respondent cunabula cætera uati
Allatura fidem uir(mihi crede)geres.
Nescio quid patrii:quo nil præstantius ædis
Ingenii trimus:te stupet ipse pater.

Ad Marium Philelfum

Vt fuit in nobis eadem florentibus olim:
Viuendi ratio clare poeta domi:
Sic ducis illius nostri:quem fleuimus una
Post obitum:fatum nos agitauit idem.
Protinus Insubrium dilecta reliquimus arua:

Et pariter nostrum liquit uterque lares.
Quin & ulysseis erroribus ire per omnem
Italiam profugos una coegit hyems.
Cœpimus ex illo Francisci funere diui
Orbati nostro dira parente pati.
Cum duce si nobis mens sana fuisset: in arca
Vel sub ea condi debueramus humo.
Laudo igitur persas sese cum Rege cremantis:
Barbara iudicio gens sapit illa meo.
Me ducis urbini solatur gratia: qui me
Huc hybernatum milit & ære fouet.
Malo mori peregre clarus melioribus annis:
In patria fieri quam sine laude senex.

Ad Federicum urbini ducem

Sæpe trophea fugãs hostẽ: superansq; triũphũ:
Ex omni Italia dux Federice refers.
Nicolcos audax inuaserat ecce Tifernum:
Principium belli quod latialis erat.
Ille tamen patriam tua propter iussa reliquit:
Addideras iussis imperioque minas.
Hæc tua tã facilis uincendi gloria perdet
Nos equites omnis discipulosq; tuos.
Agmen iners erimus digni nec honore: nec ære.
Nullus ĩ arma tuus uerus alumnus erit.

Ad eundem

Importuna fames rabidum spelæa leonem
Antra lupum: nidos linquere cogit aues.
Me quoq; ab æstiuis insueta coegit egestas
Confugere ad dextram dux Federice tuam.
Quã mea me stimulãt magis intestina meorũ:
Esuriunt famuli turba molesta mei.
Verberibus magis oderunt ieiunia serui:
Sæpe famescentes arripuere fugam.

Ad eundem

Non ita mercator gemmæ studiosus eoæ
Omne sagax omni tempore littus adit:
Non ita sollicití rimãtur sydera nautæ:
Nox ubi iam præceps abstulit atra uiã:
Vt mihi sentitur quod iter facis indice fama:
Cuius es assiduus dux Federice labor.
Obuius hybernis ideo tibi sæpe relictis:
Cum gracili musa Marte querente feror.
Odit: & infamat dominũ sine ueste satelles:
Instat hyems: omnes indue ueste meos.

Ad Io: Antoniũ Campanũ presulẽ aprutinũ

Sæpe salutatus fuit a prædonibus exul
Scipio Linterni: non secus: atq; deus:
Cur in aprutinis ego te moror inclyte uates
Visere: qui ueneror nomen ubiq; tuum.
Debueram subito mediũ transire truentum:
Vt campane semel conspicerere mihi.
Idq; foret factum: sed adhuc aliena secuti:

Auspicia Asculea nuper in urbe summus.
Sum ducis Vrbini turmæ prefectus equestris:
Illius hic iussis arma togamq; fero.
Quippe gubernator piceni milite ciues
Restituit pulsos seditione domo.
Quiq; reos omnis equitando per oppida terret:
Afficit & pœnis: Eacon esse putes.
Hic aquilanus adest: cõmendat & ipse Marinus
Se tibi fulginea factus in urbe tuus.

Da perfidia canum & hominũ simili

Incœpere canes agnos hoc nuper in agro:
Et sibi commissos dilaniare greges.
Vna custodes dominiq; repente molossos
Affecere graui uerbere quisq; suum.
Parcite uerberibus nec cedite bruta coloni:
Ex me perfidiam discite ferre canum.
Hi quoq; sunt hoĩum (mihi læso credite) mores:
Non alia pulsus sum feritate domo.

De quinto Mediolani duce

Insubriũ Galli domino rupere soporem:
Nocte uel in media quem uigilare ferunt.
Et matutinos ad galli surgere cantus:
De Gallis solitum deniq; multa queri.
Gallus es: & non es: nocturno tempore somnum
Qui potes Anguigero rumpere Galle duci.

Ad eundem

Messe licet sexta caream patriaq; domoq;:
Nec sedes profugo desit honesta mihi:
Cum tamen audiui te Gallis arma parare
Oppida poscentem debita iure tibi.
Ne ualeã: si non properabã miles in arma
(Vis nutrituræ tanta) uenire tibi.
Vtraq; uinciri iam cœperat ocrea suris:
Extemplo subiit pectora nostra timor.
Ille timor: qui me rapuit patriæq; meisq;:
Et qui me sequitur: nec finit esse tuum.
Non timeo Gallũ: nec in hoc Allobroga bello:
Horreo te læsus præteritiq; memor.
Quem facis ipse metũ mihi: si qua fugauerit ora:
Me reducẽ faciet: sit precor illa breuis.

Ad F. Gonzagã cardinalẽ Mantuanũ.

Quod nõdũ sacro sim de grege trãsfuga Martis
O Francisce tui gloria magna chori.
(Hortabaris enim) mirari desine: fiam
Cum fuerit capiti trina corona tuo.

De. I. Robore cardiali ad uincula sancti Petri

Ensis & hasta cruci concedite: laurea cœpit
A ducibus claris in caput ire sacrum.
Ordinis ille sui princeps ad uincula Petri
Ecclesiæ cardo pontificisq; nepos.
Victor ab allobrogũ fœlixq; reuertitur oris:
Missus ad amissas relligionis opes:

Obuia uade patri cum tota curia Roma:
Quo duce uestra procul res bene gesta fuit.

De se Aegroto.

Febre laborantes dum sæpe salutat amicos:
Et deflet querula qui periere lyra:
Incidit in febrem:resalutaturq; Platinus:
Carminis in tumulo dii prohibete uices.

De ficis & uuis agri piceni

Fici picenis & natæ in collibus uuæ:
Mella quibus cedunt:ambrosiæq; dapes:
Mille licet febres obstent:uitæq; minentur:
Vos tamen autũnus dum finit:æger edam.
Ipse nec efficeret prohibendo coronide natus:
Nectare ne gemino uescerer huius agri.
Quarta quaq; die me febris anhela perurit:
Dimidiam noctem:dimidiumq; diem.
Tum licet enitar mihi tota negatur edendi
Vis explentque meam pocula nulla sitim.
Nolo tot accedant incõmoda:cum mea febris
Curari nequeat:cuncta licenter edam.
Tuq; salutator caueas hic esse Machaon:
Si loqueris mecum clinica:uade foras.

Ad Federicum Vrbini ducem

Si uolo quartanam penitus depellere Princeps
Crudelem dominam carnificemq; meam:
Consilio medici cælum mutemus oportet:

Cum picena lues obstet & ipsa mihi:
Quæ miserã hãc adeo populatur:& obsidet orã:
Vt sit ab æstiuis non procul illa meis.
Militis:atq; tui si qua est tibi cura poetæ:
Quo permitte libet me recreare loco.
Ipse potestatem Mutinam si feceris ibo:
Annue per spacium quæso trimestre mihi.
Et seruos & equos humus Appignana tenebit:
Naue ferar:comitum grex puer unus erit.

De duobus annis inaniter cõsumptis

Autumni bis in hoc humili soloque recessu
Inter agreste genus præteriere mihi.
Nec mea culpa fuit moriar (si mentior)odi
Cum grege uersari cordis habente nihil.
Quem non debuerant nostræ mouisse camœnæ
Et tamen aonium non tetigere ducem
Musa aganipæis in uallibus o mea posthac
Aut depone lyram:uel modulare mihi
Si tua pierius contempsit munera princeps:
An rudis expectas induperator amet?
Hactenus ergo duos consumpsi inglorius annos
Non appignani tertia musta bibam.

Ad L.Griphum præsulem

Cum generosa tuæ repeto cognomina gentis:
Et uitam reputo cum Leonarde tuam:
Censeo dissimilem tibi griphas:& esse columbam

Quæ facit ad mores ingeniumq; tuum.
Tam fera tam miti domino non conuenit ales
Nescio qua gentis sit ratione tuæ.
Sed qđ in astra uolat sublimis in æthere griphus:
Haud tibi quem uirtus extulit impar erit.

De se qui mori cuperet.

Mors nisi nostra tuos fortuna represserit arcus:
Quæ gaudet læntis me cruciare malis
Ablatura meos misera cum luce dolores
Tæla dabis certa præcipitique manu:
Aeger in hibernis traho uitam muneris expers
Omnis Apollinei molliculique cibi:
Qui sermone diem socius noctemq; faceto
Decipiat, nullus uel mihi rarus adest.
Anxietas animi me nulla deserit hora.
Iam puto me rapies æmula parca rotæ.
Ergo eat hæc anima infoelix a corpore fesso
In quācunque deus miserit ipse plagam.
Siue beatorum campis: seu mittar ad umbras:
Morte lucrifaciam: si properata uenit.

De se quartana grauiter affecto

Parca mihi parcit misero: quæ mille beatos
Viuendi cupidos præcipitata rapit
Continuam febrem non admittente salubres
Ore cibos ullos tempora longa tuli.
Non aderant medici nec erat mihi cura salutis
Restabant uitæ stamina pauca meæ.
Denique me fuerat mors extinctura: sed illi
Prædam intercepit me dea cæca suam.
Noluit esse tamen mors expers ipsa rapinæ:
Partitæque duæ sunt mea membra feræ:
Altera ut exilio me uexet: et altera morbo
Vt pote quartana corpus edente meum.
Fibra ferax Ticii penitus cōsumpta fuisset:
Si ueluti febris me: iecur esset auis
O superi terras oculis si cernitis æquis
In caput hoc unum cur mala tanta cadunt.

De Gentile urbinati claro architecto

Hæc urbinatem Gentilem marmora condunt:
Qui tuus adiutor dux Federice fuit:
Cum strueres ædesque tuas arcesque superbas:
Hic erat Archimedes Dinocratesque tibi:
Nunc desiderium tua iussa premente leonem
Sole cleonæum dum studiosus agit.
Dum muros arcemq; locat: Senogallia mortem
Pro mercede suo reddidit artifici.

De Scocla hystrione

Qui potuit risum tetrico mouisse Catoni:
Coccytonq; suis exhilarare iocis:
Scocla palatinus regumq; ducumq; uoluptas:
Hystrio qui toto notus in orbe fuit
Hic iacet: hunc omnis desiderat aula: nec ullos

Tam sibi iucundos inuenit ulla sales.
De Stephano Famulo
Ordea cũ milio Stephanus rapuisse fatetur:
Rem tamen ullius se rapuisse negat.
Mors domino spoliauit agros:ego frugibus inq̄t
Ipse mihi caui:prætor ad ista silet.
Ad Platynam
Platyna iampridẽ tibi debet multa Platinus:
Nulla sit inter nos res agitata licet.
Vera loquar:sunt qui tua scripta diserta legentes
Nomine decepti me coluere tuo.
In calumniatorem
Iam collega meus quidã me carpere fertur.
Quod duce nescierim:sciuit ut ipse frui.
Istum pauonem fortuna secunda tuetur
Gracculus aduersam si patiatur erit.
In malum bonæ coniugis uirum.
Coniugis ille bonæ male uir:pædico.cinædus
Vxorem meruit non habuisse bonam.
Ad Angelũ auditorem legati piceni
Desine sacrarũ uersare uolumina legum
Quotquot habes libros Angele uende tuos.
Si tibi parcendũ peccantibus esse uidetur:
Sanctio deleri Iustiniana potest.
Ah male tum sanctas obseruat curia leges
Crimina cum iudex esse ferenda putat.

In causidicum
Vænali postq̄ didici te uiuere lingua:
Oraq; uerboso prostituisse foro:
Nec miror:nec ut ante queror : mea iura maligno
Dente palatinum te uiolasse canem.
Indoleo quod non pariter sis arma secutus:
Et fora:ne sola me patiare toga:
Congrederer tecum uario certamine:ritu
Herculis:indicam prælia nota tibi.
Res agitur uerbis:age descendamus in ipsam
Hanc aciem:linguam noueris esse nihil.
In Mabilium temere iudicantem
Cum ducis urbini uates & miles in aula
Coram Mabilio dicerer esse bonus.
Risit:& est inquit labor ipsa poetica summus
Qui bonus hic armis esse poeta potest?
Credit iners homines nullo discrimine nasci:
Nobilibus tardos cedere nescit equos.
Ergo te faciat series annosa poetam:
Me uis ingenii dexteritasq; mei.
Ad almã & gloriosissimã Laureti Virginẽ
Nostra Moguntino cum lux in carcere peior
Omni morte foret:cum sine luce forem:
Si tantum regina poli cunctata fuisset:
Et mihi tam seram uirgo tulisset opem:
Quantũ ego Laureti procrastino uisere templũ:

Et seruatrici reddere uota meæ.
Nunc etiam flerem:miserumq; miserrimus essem:
Et me lætalis carcer haberet adhuc.
Milia tēpla deæ bis sex(haud amplius)absunt:
Nec mihi tam longa uisa fuere mora:
Quæ petit illyricus pelago:iuga theuto per alta:
Gallus:& hispanus:pannoniusq; petit.
Rex ubi dacorum posuit reginaq; nuper
Quæ tulit argenti pondera magna domo.
Parce precor:nec me uenientem auersa tuere
O dea sæpe meis auxiliata malis.

Ad eandem

Territus exitio picenæ gentis acerbo
Quam morbi rapiunt:ut sua pestis oues:
Sub ioue nymboso transacto pene decembri
Aeger ab anchonæ littore soluo ratem:
Imbriferas omnis hyadas emisit olympus:
Decidit in multam iupiter ipse niuem.
Stulta litabat iter pelago factura uetustas
Te neptune uocans:hyppotadenq; simul:
Ast ego uirgineum iactandus in æquore numen
Expertus totiens auxiliare uoco.
Nec maris irati facies me sæua moratur
Quin ope uirginea per freta fretus eam.

Immerito picenum asinarium uocari.

Indita picenæ falso cognomina genti
Sunt Asinæ siqua nata fuere nota.
Offiium colit(experto mihi credite)picens.
Quam dederit nobis accipe lector opem
Cum fureret passim picena per oppida pestis
Cuius erat cunctis in regione timor.
Porta peregrinos arcebat:caupo nec extra
Tecta uiatori qui daret ullus erat
Cumq; laborarem iam pallidus hemitriteo
Me procul ad medicum ferre necesse fuit:
Ex Appignano fugiens Esina petiui
Mœnia:prætoris fretus amicitia.
Accipit hospitio me Condulmarius ægrum
Hic iterum prætor:conspiciendus eques.
Quid loquar uxorē generoso coniuge dignam:
Cui materna fuit sedula cura mei
Hæc alimenta suis manibus mihi dāda parabat:
Quæ uir ut acciperem:gratius ipse dabat.
Hi ne tibi mores asinares esse uidentur?
Ex istis alios collige mille bonos.

Deflet mortē Nicolai Cōdulmarii.

Quem piscina dedit prima trieteride lœto
Defleo Nicoleon debitor usq; patris.
Dū puer ī ripa nitidarum ludit aquarum:
Dumq; uagos pisces incomitatus agit:
Heu cecidit.nymphæ non aduertere cadentem:
Visus ab his anima iam fugiente fuit.

Egregium diuæ pueri stupuere decorem
Ni foret aientes hic minor:esset hylas.
Mandandum tumulo uomuerũt nobile corpus:
Iamq; suum crimen fecerat unda palam.
Exanimum famuli referũt:aspexit ut illum:
Diriguit mater:mox ita questa super.
O nate:o mea lux:o spes modo blanda parentum:
Nunc o uulnus atrox:o mihi sæue dolor.
Siccine te uideo? complector & osculor ora
Quæ tibi syderei plena decoris erant?
Tot simul ancillæ nequã:famuliq; proterui
Cõmissi curam non habuere tui.
A genitrice patrem prætorẽ nuncius Esi
Vulnerat:ad funus qui properare iubet.
Prima Rachaneti gens condulmaria pollet:
Omnis ad exequias iuerat ordo frequens:
Dumq; parabantur pater ipse superuenit illis:
Et pater & prætor fecit utriq; satis.
Ad Franciscum Lagognam.
Sæpe suo sunt ægra bono mortalia corda
Crastina nec quisq̃ quid uehat:hora uidet.
Vrbs pro Pompeio cum Cæsare bella gerebat:
Cæsare sed fœlix principe Roma fuit.
Me quoq; turbauit discedens curia nuper
Cum Tyburtino præsule grata mihi.
Successoris erat fateor mihi nulla uoluptas
Tædia picenæ iam regionis erant.
Vt dominũ uidi fauensem iure uocari:
Qui fanum fidei iusticiæq; potest.
Vt domus officii patuit mihi: plenaq; nostræ
Pallados:ille metus protinus omnis abit.
Culpatæ placuere uices:momentaq; rerum
Quæ mihi primicolæ displicuere:placent.
Digna satis Francisce tibi quæ premia reddam?
Qui facis ut tantis ædibus utar adhuc.
De Francisco Philelfo profugo.
Audio Franciscũ (nec miror) in urbe Philelfum
Viuere:& insubres deseruisse meos.
Sint mala plura mihi profugo maioraq;:si non
Indoleo iuuenis quæ fero:ferre senem.
Prætetea patriæ fuit hæc infamia nostræ
In senio uatem non aluisse suum.
Thereos ecce nefas:& Prognes:atq; Thiestæ:
Sol agat unde suos ecce reatus equos.
De Hirundine
Abstuleram pullos paulisper harundine nidum
Demolitus auis quæ lacerauit Ithim:
Illa reuersa piis impleuit tecta querelis:
Et luteum rostro præcipitauit opus.
Serus amor progne tuus est:immane dedisti
Exemplum in natos ausa nefanda tuos.
Ad Theodorũ Platũ fratrem.I.Cons.

Sæpe ferox lento paridi succensuit Hector:
Hector erat Paridi promptus adesse tamen:
Me quoq; damnantem tua longa silentia frater
Q uod non reris habet maxima cura tui.
Tu mihi nescio cui alienior esse uideris:
Et sæpe est aliquid cur ego sæpe querar:
Sæpius ut scribas ad me precor:accipe calcar
Picentina tui carmina fratris opus.
Cætera sic ibunt ad te mea:nam duo restant
Q uæ peregre scripsi condita frater adhuc.
Plus oris q̃ mentis habent:moderabor utrunq;:
Et poterunt nullo iure querente legi.

Liber Ad Anastasiũ Platũ fratrẽ.I.studiosum.

Libra æquante diẽ nocti cũ musta premuntur
Inter poma liber mitia natus eram.
Dum meus expectat sua munera qui ferat auctor
In patriam fratri:Iam fera uenit hyems.
Sic ego qui fueram ruri uel in urbe legendus:
Alcinoi paruæ cũ legerentur opes:
N atali sum strena die niuibusq; geluq;
Horridu s est oci mensis & iste:legar.

Ad Eundem

Me genuit natura pium:detestor & odi
Sanguine fraterno quæ maduere manus:
Non ego cessissem donando fratribus illi
Q ui cessit patrias Hæmilianus opes.

Si fortuna daret:comitata pecunia uersus
Magna meos ad te nunc:aliasq; foret
Sola meæ frater charissime munera musæ
Accipe:rem quando mittere fata negant.
Ingenii cape dona mei:cum diuite censu
Confero uersiculos litterulasq; meas.

Ad Io.Thomã.Platũ:patruum.

Patrue scripsisti quem nobis optime casum
Non potui nostri non stupuisse ducis:
Flensq; tuam legi dignã Cicerone tabellam
Præ mœrore tuo lætitiaq; mea.
Tam pia q̃ facunda fuit:uestigia morbi
Si qua super fuerant expulit illa mei.
In patriam reuocas:& me rationibus urges
Et nundum recte me ualuisse times.
Conualui:depone metum reducemq; uidebis
Currere in amplexus me sine febre tuos.
Te fruar:& longi sine te mihi temporis acti
V suram capiam sedulitate mea.
Te quoq; si qua latent peregre mea facta docebo
Et liqui patrios qua ratione lares.
Q uãq; probabis agam charissime patrue uitam:
Siue domi iubeas uiuere siue foris.

De frẽ suo q̃ i burgũdia strenue dimicãs occubuit

Nemo domi uixit tanta ratione:fauentes
Vt sibi contigerit semper habere suos.

Te quoq; nulla domi fuerat cui gratia frater
    Impulit ut profugum me sequereris amor.
Sum tecum partitus opes:& quicquid habebam
    Militiæ sine me me duce castra petis.
Cum Gallis hedui crudelia bella gerebant:
    In quibus heluecii te rapuere truces.
Te misi infœlix ad amicum Troilon illuc:
    Ille rudimentum fouit in arma tuum.
Strenuus euadis primo certamine miles:
    Præfectis equitũ iam sociatus eras.
Hostibus in mediis obsessaq; mœnia circum
    Occidis in pugna qua cecidere duces.
Cur inter non ipse fui: caderemus ut una?
    Parrhasias pascis nunc in humatus aues.
Vulnera sæua pio lachrymarum fonte mearum
    Tota lauaturus si licuisset eram.
Iusta dedissemus germane tibiq; sepulchrũ:
    Quod potui feci forte perenne magis.

Ad Federicum urbini ducem

Si mihi perpetuo patriam fortuna negasset
    Vmber:& Vrbinas usq; futurus eram.
Dux mihi non alius q̃ tu Federice fuisset
    Vel si me Cæsar sollicitet ue Cato.
Nunc apud Insubres rerum conuertitur ordo:
    Quos bene pro nato Dux bona nostra regit.
Si das:institui charos habitare penates
    Et patriæ miles ciuis & esse meæ.
Mouit amor matris:lachrymæ mouere sororem
    Vrget item patruus:quem uice patris amo.
Nec priuata minus mea me res ipsa requirit
    Quippe resarciri dilacerata cupit.
Ergo me parua fac missum quæso tabella
    Quæ mihi non parui muneris instar erit.
Militiam nostram sub te qua glorior edet
    Deq; tuo fiam milite præco domi.

Ad librum suum.

I peregrine liber profugi properate lucerna
    Militis:errores omnibus ede meos.
Qua sumus in patria rerum uenerare potitos.
    Hic aliena mihi culpa nocere solet.

Commendat opus suum duobus Eruditissimis uiris Reuerẽdo patri Iacobo Antiquario & Francisco Trãchedino.

Quem tibi mitto meũ lege Tranchedine libellũ
    Seu ueterem mauis dicere:siue nouum.
Et procul & pridem scripsi(uix extat)& olim
    Nam uagus amisi plurima:multus erat.
Nunc emitto situ lustrorum quattuor atrum
    In patria:si tu censor amice probas.
Lectitet ut tecum pater Antiquarius opto
    A tua musa meus tutor in arce Iouis:
Inueniet doctos istic hominesq; disertos

Si timet & sibi uos orat adesse:sapit
Ferte manum pariter:tibi commẽdamus & illi
Confugit in uestros hic utriusq; sinus.

Ad Illustrisimũ Herculẽ Ferrariæ Ducẽ.

Mittitur Estensi domino sine ueste libellus
Prodat ut auctoris tristia fata domi.
Hic canit a uenetis quos ille recepit honores:
Rebus eram præsens aulicus ipse ducis.

Ad Illustrẽ Gulielmũ Mõtisferrati Marchionẽ de honoribus quibus Hercules Estensis Dux Ferrariæ Venetiis acceptus est Nicolao trono Duce Venetiarum Platinus.

Hospitii quanto fuerit susceptus honore
Estensis ueneta magnus in urbe cano.
Par animo princeps illi quem nomine reddit
Clarior insigni dux adamante suo.
Scribo nouos ad te titulos affinis amici
Quos illustris amas ut Gulielme tuos.
Vera loquar nullis ambagibus agminis unus:
Seria principibus cum breuitate placent.
Venimus ad uenetos :urbs illa superba calendis
Tota meum Martis est uenerata ducem.
Quippe salutatum pro principe proq; senatu:
Ad finesq; suos obuia turba fuit:
De qua mox unus orauit grandior æuo:
Hospitium primum Clodia fossa dedit.

Mane petit princeps ueneta comitante caterua
Templa:dehinc epulas:a dapibusq; rates.
Insequitur plaususq; uirum clangorq; tubarum.
Herculeum herculeum nomen ubiq; sonat.
Vulgo adamãta canũt:repetũt adamãta freqnter.
Peruolat æquoreas aurea nauis aquas.
Ventum erat ad molem meduaci : exire fretumq;
Currere per medium dux male tuta iubet.
Nempe noto surgente uehi stagnantibus undis
Consilium tutum segne putabat opus.
Acta procelloso prætoria turbine nauis
Fluctuat:hinc cœlum tartaron inde petit.
Læta ducis nobis aderat præsentia:tandem
Omnia tranquillo tuta fuere salo.
Sæpe uir audendo superat discrimina fortis:
Cedere uirtuti non elementa pudet.
Ecce patrum manus altera se uenerabilis offert
In rate fulgenti:purpureisq; togis:
Qui pede conscendunt celeri rostra ardua nostri
Roboris:& genibus procubuere ducis.
Vt generosa cohors exegit pignora dextræ:
Coram nescio quis multa disertus ait.
Quæ uelut Estensis iã sciret:ad omnia prince ps
Facundo breuiter reddidit ore uicem.
Interea uenetam raptim uectamur ad urbem.
Excelsas aperit eminus unda domos.

Aethera per nitidū:placidūq; per æquor in urbe
Turribus impositi carbasa nostra uident.
Signaq; dant patribus certatim:sclopus ubiq;
Plurimus ingentem dat per inane sonum.
Aera sonant passim festam Campana per urbem
Exaudita procul cornua dulce canunt.
Puppibus & proris auratis ecce uidemus
Innumeras ad nos uelificare rates.
Inter quas Augusta uelut berecinthia mater
Ardua stans instar mobilis arcis erat
Attalicis ornata nouis auriq; figuris:
Hic uenetus princeps:atq; senatus erat.
In medio fundata mari iacet area iuncta
Vestibulo templi spiritus alme tui
Occupat hanc pedibus uenetus prior:altior oī
Patre:duci ad talos aurea uestis erat.
Pectore barba tenus candens:in uertice canos
Texerat ex ostro piramidatus apex:
Subdita cui fuerat subnectens infula mentum
Numinis effigies nescio cuius erat.
Circunquaq; patrum quos reges dicere possis
Agmen erat cunctis purpura adusq; pedes:
Tum dux æquoreus geminis amplectitur ulnis
Colla meo libans oscula bina duci:
Fecit idem meus in tunica dux funere pulla
Fraterna;sed erant ora serena duci.

Colla coronabat gemmis auroq; superbum
Reddens in media nocte monile diem.
Deinde patres alii pia magnæ pignora dextræ
A duce deposcunt ordine quisq; suo.
Nicoleos tronus dextram capit Herculis: ambo
Intra robur eunt:quisq; senator idem.
Tum magis Herculeū ferit aurea sydera nomen
Herculeos ecco reddit aquosa sonos
Herculis ad nomē madidum caput extulit undis
Rex pelagi & fluctus mouit ab ore graues:
Singula miratus plausit ratus esse nepotem
Et secum dubio sic ait ore deus.
Hic si non meus est:meruit tamen esse uideri:
Cuius habet nomen talis in orbe fuit.
At triton(neq; enim pompæ sua iustius:ulli
Buccina concinuit)personat ære cauo.
Haud procul urbs aberat:cū sole tepētibus au...
Fertur in hanc heros urbe frequente meus.
In foribus speculis triuiis passimq; iuuentus:
Et populus tanq̄ nullus abesset erat.
Virginei cœtus hilares instarq; lacenæ
Nostra morabantur uultibus ora suis.
Tiridates cedat cū uenit in ora quiritum:
Atq; triumphantes cum rediere duces.
Dux antiqua suæ descendit in atria gentis
Luxu instructa patrum cultaq; more suo.

Festæ frondis erat testudine limen opertum
Vnde coruscabant Herculis arma procul.
Mille adamantiferæ cymbæ nobisq; paratæ
Cum totidem nautis ante fuere domum.
At proceres abeunt:in limine conuenit hospes
Q uenq; suus:primas hinc petiere domos.
Hora duci suadet discumbere:nosq; magister
Hospitii quod erat cæna parata iubet
Q uot bõa uia:dapes quæ quot ue fuere:qs ordo:
In mensis auri copia quanta fuit:
Q uid referã somnos tibi nobilitatis in ostro
Talia cui scribam multa relinquo memor.
Postera Titoni cum liquit amica cubile
Et diuina domi res celebrata fuit.
Patritiis omniq; sua comitatus ab aula
Sexcenti comites aula fuere ducis.
Nauigio diui petit alta palacia Marci
Protinus occurrunt duxq; patresq; duci.
In penetrale domus ubi cogit habetq; senatum
Ducit eum dextra maximus ille patrum.
Vt sedere loqui meus incipit Inclytus heros
Legati a dextra cui duo regis erant.
Angelus omnino probus urbe repertus in illa
Hadria cui patria est altera terra uetus.
Cum duce Fabricius nos unde charaphius alter
Venerat insignis Parthenopeus eques.

Nil ait Estensis potius mihi maxime Princeps
Visere q̃ coram teq; patresq; fuit.
Dicere & ore meo quas uobis debeo grates
Q uanq̃ oratores hæc obiere mei:
Me regni nouitas tenuit:nunc acta per illos
Omnia uobiscum sancio sancta mihi.
Stat uestrũ meritum semperq; manebit apud me
Cum mihi maturam classe tulistis opem.
Auxilio uestro celeri magnoq; potitus
Sum patrio regno:quo spoliatus eram.
Q uod me tam celebri nunc admisistis honore
Gratulor:& uobis obligor usq; patres.
Pro uestro imperio discrimen ad omne ferendũ
Offero cum regno meq; domũq; meo.
Talibus Estensis:Venetus charissime fili
Noster ait:princeps inclyte nostra fides.
Tempestiuus ades:nec enim tua recta uoluntas
Nos unq̃ latuit:nec latuisse potest.
Q uid grates agis:hæc res publica si tibi quicq̃
Profuit ad regnum:munere functa suo est.
Iusticiæ pars est contra uim Iura tueri.
Ipse deus tibi nos mittere iussit opem.
Impulit omne pium:ius:fas:tua deniq; uirtus:
Nostraq; in Estensem gratia prisca domum
Pro te proq; tuo uersabimus omnia regno
Sed iam secura uiuere mente potes.

A dextra leuaq; duos en aspice patres
Regia maiestas est tibi namq; parens.
Ferdinandus enim rex inuictissimus armis
Qui tibi nobiscum consulat unus erit.
De te deq; tuo nobis fiducia regno:
Est ea de nato quæ solet esse patri
Quod tibi nũc amplo susceptus honore uideris
Iudicibus nobis nil minus esse potest.
Non finit ut studiis tribuamus idonea nostris
Et meritis intra Mœnia nostra tuis.
Relligio quæ lege cauet ieiunia linqui
Expiat hoc animam tempore quisq; suam.
Non tibi formosas ostendent nostra puellas
Atria: quas omnis uisere templa iuuat.
His ambo læti dictis cunctusq; senatus
Legatiq; sacrum deseruere locum.
It meus ad naues deductus ab omnibus heros
Cum patribus primis euolat inde domum:
Seria facta ducum sunt hæc: aliisq; diebus
Cum duce dux urbem cum patribusq; uidet.
Singula quid referam: quæ te uidisse recordor
Dicere: miratum diuitis urbis opes.
Thesaurosq; sui custodis in æde quibus par
Quantumuis ingens auctio nulla foret.
Plena carinarum naualia: quidue plateas?
Quid uarias artes artificesq; loquar?

Templorũq; decus prælustre domosq; superbas.
Quid fora? quid pontes? conciliũq; patrum?
Crede mihi princeps ueterũ studiose legenti
Res antiquorũ: Romuleumq; genus:
Cernitur in ueneto maiestas illa senatu
Qua romanus erat: cum sua Roma fuit.
Bis stetit herculeas dux improuisus ad ædes
Cũ patribus: summus qui prohibetur honos.
Nec minus in reditu nos accepere benigne
Magnifici passim per sua regna patres.
Dux alius nunq; tulit hunc ut fertur honorem
A ueneta nonis soluimus urbe: uale.

Ad Illustrẽ Guidonẽ Vbaldum
montisferetrii Vrbini Ducem.

Sub genitore tuo Furium referente Camillum
Virtute: & Fabium calliditate ducem:
Hunc ego composui profugus milesq; libellum:
Quod breue de rebus dic opus esse patris
Nunc abit in lucem melior: quã prodiit olim:
Quo dux ille meus tempore uiuus erat.
Tuq; puer tum mirus eras dux inclyte Guido
Cura tui patrui: tunc oculusq; patris.
Ad quorũ exemplũ formatus es optime princeps:
Scipio qualis erat patris auiq; sui.
Anguste nimium cecini: quæ digna fuissent
Virgilii cantu: Moeniaq; lyra.

Sed campum ingentem celebrare uolētibus edo:
De modico nasci flumina fonte solent:
Te uero ut unerer uirtutum fama tuarum
Efficit: o natos inter habende Iouis.

Platini compendium rerū gestarū
a Federico primo urbini Duce.

Vnde uirū canere incipiā dic musa potentem:
Quo picenus ager simul umbria pricipe gaudet:
Armatum ne iubes: cum prælia uictor obibat?
An speciosa togæ seruantem iura uetustæ?
Dum canitur Phœbi: Martisq; Feretrius heros
Lumen: adeste mihi faciles ad carmina diuæ.
Cum foret Alphonso lugubris in astra relato
Parthenope tristes horrens experta ruinas
Flebilis æthereum sic est affata tonantem.
Heu quantis obsessa malis sum rector olympi
Orba parente meo: trepidare miserrima quæq;
Cogor ab hoste: fidem procerum nutare meorum
Aspicioq; latens intra mea uiscera uirus:
Atque uidemus uti Mars impius omnia circum
Vastabit: uideo clades & sæua meorum
Funera: per uillas hostilem cernimus ignem.
Rex uelit ipse licet sese obiectare periclis:
Non tamen ad tantos poterit satis esse tumultus.
Quis meus armipotēs Iacobus in arma iuuabit
Caudula? uel qui me seruauit Sfortia quondam
Funditus (occurris nisi Rex æterne) peribo.
Da mihi: daq; meo per tot discrimina regi
Qui regat arma ducem: nulli uirtute secundum
Cui sit consilium: simul usus in arma fidesq;
Nomen & excellens: & fœlix alea Martis.
Iupiter audiuitq; preces & flexit in illam
Lumina: mox uno contemplans omnia nutu
Quæsitam uestigat opem: nec repperit usq;.
Nemo caret culpa: nec contigit omnis ad unguē
Vlli mortali uirtus: audacia multos
Præcipitat: fastusq; alios: plæriq; notantur
Crimine perfidiæ: sed plures immo fere omnes
Nomine auariciæ: ducibus uidet undiq; claris
Exhaustas urbes: & nomina sola manere:
Parthenopæ uidet auxiliis opus esse paratis.
Ergo anceps uocat Alphōsum: qui nup in astra
Venerat: admotum compellat talibus ultro.
In terris Alphonse mihi charissime quondam
Charior in superis obseruantissime diuum:
Nos tua parthenope precibus miseranda fatigat
Instantis metuens belli: cladisq; futuræ
Poscit in arma ducem: qualem non inuenit usq;.
Non ego qui mundi seriem: momentaq; cerno:
Tu qui terrarū longa dicione potitus
Nuper in astra uenis olim clarissime regum
Vnde tue rebus dic urbis adesse queamus.

Tecum erit iste labor: mihi quã sol itq; : reditq;
Cuncta recẽsenti se nullus idoneus offert:
Credere cui tantã possis in prælia molem:
Ni tibi qui nobis urbinas ille uidetur
Magnificus princeps Federicus: ad utraq; natus
Tẽpora: q magnos aget omni ex hoste triũphos.
Hic addet patrio regno: quæ cœperit armis
Oppida: mutabit dominum sempronia terra
Dempta Sigismundo: dono Federicus eandem
A pastore pio meritum uirtutis habebit.
Ille duas urbes: quarum quæ sæpe laborat
Vi morbi: Senonum retinet Senogallia nomen
Altera fortunæ tellus innoxia fanum:
Obsidione graui capiet: captasq; relinquet
In ditione Pii: Sixtoq; rebelle tiphernum
Restituet: Mũtonem idem expugnabit ademptũ
Bracciadæ: uictrix ecclesia nostra tenebit
Militiam reget huius enim uexillifer & dux.
Hic est antiquæ qui clara exempla secutus
Militiæ: modo cunctando frustabitur hostem:
Opprimet interdum celerando more Neronis.
Claudius Asdrubalem deleuit ad ora metauri
In tua regna duces hosti tris unus ituros
Auxilio: noctu inuadens hic obteret armis
Parthenopæ laturus opem: cum castra mouebit
Non poterit uenientis iter gens ulla morari

Nec te uorticibus sortite potentia nomen:
Nec iuga: nec rapidum metuet transire Truentũ:
Diripietq; procul moturas bella cohortes.
Hic & in hæmilia solus tutabitur omnem
Italiam: contra collectas undiq; uires:
Inq; Ricardino restinguet prælia campo
Præsidio tutam muro fossaq; situq;
Brixelli capiet dedentibus hostibus arcem.
Nec quia Arimneam totiens oppresserit urbem
Idem hortante tuo nato seruare negabit
Pro genero socerum magno certamine uincet
Ethruriæ populos nonnullos ille rebelles
Vrbe fluentina precibus tendente domabit:
Cumq; nepote tuo: qui te renouabit: hetruscis
Detrimenta dabit magno discrimine belli.
Pontificis natiq; tui mandata secutus:
Estensiq; duci succuret rebus in aspris
Impiger aduersus Venetos acremq; Robertum
Italiæ pater & columen dum uita manebit.
Hunc Alphonse ducem: si mecũ tu quoq; sentis
Gentis Aragoniæ uictricia ferre iubebo
Signa fide & uirtute pari: quæ sola sequetur:
Et quocunq; tuus natus mandauerit: ibit
Cura comesq; tui surgentis in arma nepotis.
Iupiter hæc: siculus contra rex talia fatur.
O quantus debetur honos æterne deum rex

Gratia quanta tibi:qui nostræ consulis urbi:
Regnicolisq; meis:& nostro deniq; nato:
Quem delegisti urbinatem censeo tecum.
Egregium magnũq; ducẽ:uenisse recordor
Necdũ illum iuuenẽ nobis senioribus ad nos
Parthenopen : mores & sensa senilia gemmæ:
Verba fuere rosæ:Federici ex indole tanta
Tum memini dixisse meæ primoribus aulæ.
Hunc aliquando ducẽ summa uirtute futurum.
Fas ergo nihil est ulli sperare meorum
Vtilius modo res ad nostras ille gerendas
Maturare uelit:tu uero summa uetustas
Regna domumq; meã crudelibus eripe fatis
Si qua uides olim nobis aduersa minari.
His dictis repetit modo quas diuiserat illi
Scorpius orbe pari geminas cũ Cæsare chelas:
Vnde suã simul hesperiã despectat utranq;.
Iupiter impleuit promissa:Feretrius heros
Omnia per soluit nostro fœliciter æuo.
Parthenopen bello terraq; mariq; petitam
Seruauit:regnũq; suum ditauit & auxit.
Tris unusq; duces superat:senogalia seruit
Pontificiq; summo p eũ:fanumq; subactum:
Addit Montonẽ:Castellum reddidit idem
Sixto & ariminũ agro mulctatũ fœdere iunxit:
Maximaq; extinxit Truscis incendia belli.

Testiferũq; ducẽ pugna compescuit una.
Hic & arimineã defendit ab hostibus urbem.
Quos acie aggressus tota funditq; fugatq;:
Anguigeroq; duci Brixellum marte recepit:
Et uolaterranos iuga detrectata coegit
Florentina pati:rem si uoluisset hetruscam
Delesset penitus:prope perdita comminus hostẽ
Incolumi tuttore suo Ferraria non est
Passa:nec Eridani transgressum littora uidit
Implicitũ bello & morbo crudelia fata
Hunc rapuere ducẽ:populi fleuere latini
Omnes attoniti communis morte parentis
Prÿterq̃ uenetus:Fabiũ nostraq; camillum
Tempestate uoca Federicũ candide lector.

Hubertinus Clericus Crescentinas Platino
Plato poetæ iucundissimo .S.P D.

Hinc cũ forte tuũ ingeniũ Plate miror:& inde
Corporis exigui munera magna tui:
Cum reputo uersus Phoebo dictante canoros:
Templaq; pieridũ pectore sacra tuo:
Cũ reputo quotiens Martis certamine uictor
Abstuleris forti præmia parta manu:
Cũ reputo mores:facundaq; uerba diserti
Oris:& antiqua pectora fulta fide:
Sæpe(equidẽ fateor)facio conuicia cælo:
Et feror in magnos uoce animoq; deos.

Et magnas dea sæua ciet Rhamnusia causas:
Pectoraq; exagitat nostra dolore mouens.
Scilicet huic equitis titulo inuidiosa gerantur
Nomina: qui placido uix bene sedit equo.
Hæreat ille ducum lateri: regat ille cohortes
Virtutum ignauis militiæq; rudis.
Vrbibus hic præsit nullo sua pectora fultus
Dogmate: qui solas quærat auarus opes.
Ille ducum capiat dona inuidiosa superbus:
Et phaleras: & equos: cui fuit ensis onus.
Tu quẽ castor equo uix æquat: & agmĩe Tydeus:
Bucephalam possis qui domuisse ferum:
Qui ceu Tyrteus uerbis impellere turmas
Possis phoebeum: palladiumq; decus:
Tu cui socraticis ornantur pectora chartis:
Qui ueluti sydus moribus usq; nites:
Cuius candor inest totius in ordine uitæ:
Quem quisqs rectũ nõ tamen odit: armat:
Inclyta cui cunctis præfertur gloria rebus:
Nec recto quicquã maius honore putas.
Tu mundũ meritis præsentia numina tantis
Sensisti o mores: o ubi iusticia?

F I N I S.

Platini plati Mediolanensis de grauissimo ac honestissimo more creãdi iurisconsultos illustris Achademiæ Papiensis: & de utriusq; iuris origine carmen ab ipso tunc adolescentulo cõpositũ: diu q; sepositum: & nunc demum ab eodem sene cõsilio amicorũ emẽdatum: ac emissum.

Gymnasium Papiense cano: moremq; seuerum
Illius egregiæ donandi insignia laudis
Qui meruere suis (ut nostro nuper) alumnis.
Et referam ex alto gemini primordia iuris.
Musa faue tenero uati: supplete sorores
Defectum ætatis: faueat mihi Phoebus ephoebo.
Septima fraternis operosa laboribus æstas
Venerat: intulerat falcem iam messor in agros:
Cum iucunda patri tua fertur epistola frater
Affore significans annorum præmia septem
Te iuris gemini decorandum insignibus esse:
Ne ue moraretur genitor tua uota rogabas.
Tum pater in tanto si res angusta paratu
Esset: ut est ingens animo: sic turpe putauit:
Effundamus opes ait: & tueamur honorem:
Magnaq; uirtuti dabimus spectacula dixit
Nate tuæ: præmittit ad hæc facientia raptim:
Ipse celer sequitur claris comitatus amicis:
Ticinumq; petit tecum Francisce Philelfe
Pieridum comitate choro clarissime uates

Oratorq; potens: & lingua insignis utraq;:
Cumq; Reatinæ claro telluris alumno
Angelus:auditor Ducis hic erat:atq; potestas.
Sed quid ĩ hoc tẽpus tero:rẽ ueniamus ad ipsam:
Iamq; dies aderat qua promotorius ordo
Cogitur:atq; patres sequitur studiosa iuuentus
Plurima:sub cænam ueniunt ad tecta frequentes
Præmoniti fratris:medioq; repente receptum
Ad templum ducunt:atq; ante altaria sistunt.
Qui gerit officium pro præsule flamine coram.
Tum grauiter puteus prima inter flumina legũ
Sic Iacobus ait sociis electus ab ipsis.
Ni uirtus esset Theodori cognita nobis:
Satq; superq; foret spectata peritia iuris:
Non illum uobis auderet tradere talem.
Nostra patres haud uana cohors:cui iure darẽtur
Præmia pro magno permagna labore:nec illi
Hoc formidandum suaderet adire periclum:
Hunc & pontificum telisq; lacessite legum:
Non tyro:sed erit uestros ueteranus ad ictus.
Dixerat:attulerant sacrum de more uolumen.
Imposuere patres dextras in codice septem:
Extemplo iurati abeunt:fratremq; reducunt:
Mane secuturo reditum cum præside pacti
Opportuna parat Ioannes omnia Thomas:
Disponitq; Platus maioribus aptus habenis

Sub lucem redeunt iidem:uigilemq; repertum.
Protinus ad templũ Thomæ comitantur:& illic
Rem tibi rite sacram celebrarũt spiritus alme.
Dux Catherina tuã studiosæ gentis ad aram.
Inde Iouis templũ repetunt:ubi talia fiunt:
Atq; ibi pontificis uires a patre gerenti:
Per sortẽ accipiunt leges:quæ puncta uocantur:
Accidit:ut fuerint in utroq; grauissima iure:
Mox diuersus abit Theodoro quisq; relicto:
Ille domum fugit in cellam somniq;:cibiq;
Immemor & potus:immensa uolumina uersat:
Nec secus accingit se pugnæ sedulus acri:
Quam certaturus miles crudele duellum
Strenuus arma parat:q̃bus arma repellere possit:
Discit:& infestis aduersos ictibus ictus:
Et modo qua feriat:modo qua ferientibus obstet:
Arte notat:sumitq; animos:& robora firmat.
Lucis erat mediũ requiei tempus:& umbræ:
Cum rapidus stat sol altissimus : omnia torrens:
Diffugiunt ad opaca feræ:uolucresq; per æstum.
In Iouis æde patres omnes coiiere:per illos
Danda tuæ uirtutis erat sententia frater:
Pars tua tecta petũt:intusq;:forisq; tapetis
Exornata:quibus repetis comitantibus aras.
Est locus appellant aulã cognomine magnam:
In latere a dextra curuæ testudinis aræ.

Maxima quæ ĩ tẽplo ẽ:locus ẽ celeberrimus ille:
Tempora quid iuuenũ studiosi longa laboris
Profuerint:uidet hic.& iudicat:inde recedũt:
More triumphantũ merito quos ille probauit:
At tristes alii ceu uincti colla cathenis
Discedunt:alios iussi uigilare per annos:
Iuris in hoc inter consultos atq; magistros
Tu medius surgis:patribusq; silentibus inquis
Ore uerecundo:gestuq;:& uoce uenusta.
Stans ante ora patres conscripti uestra rigesco:
Et nemo conspectu uestro:trutinaq; seuera:
Vt mihi labenti pietas ignoscat:& adsit
Vestra:precor:facilẽ censuram deniq; posco.
Multaq; præterea memorari qualia mos est.
Hæc ubi dicta:sedes:aperisq; uolumina frater:
Mirificeq; legis leges a sorte petitas.
Vix bene finieras cũ toto murmura Cœtu
Sunt exorta tibi laudem tribuentia linguæ:
Murmura desierant:hic est opus Aegide frater.
Ecce patres urgent:& te iaculantur in unum
Argumenta graui sua quisque rigentia nodo:
Primus init rector studii certamen acutum:
At tu directis ut mœta parata sagittis
Omnibus astabas:& tela frequentia patrum
Fers animo ingenti nulloque moueris ab ictu:
Cumque peregissent:& iam tibi copia fandi

Facta foret:memorãt:& te prolixa locutum
Et distincta patrũ quæcũque sophismata contra
Pugna grauis gerit:patribusq; loquẽtibus horæ
Tres ierant:obiter complerant agmina templum:
Gonzaga illustris Franciscus & ordine longo
Venerat:& fului reuerendus honore galeri:
Et cito purpureo caput ornaturus amictu:
Tu cui me dedit ante pater lanuginis annos:
O decus atq; tuæ Galeaci gloria gentis
Prima ducũ soboles nostrorũ Regule noster:
Cuius & ipse ego sum:uenisti cũ grege pulchro
Intranti procerũ chorus assurrexerat omnis:
Ora fuere tibi phœbeæ Lampadis instar:
Teq; sedente sedent omnes:unũq; tuentur.
Iam sol oceani præceps properabat ad undas:
Hostia cũ tandem reserauit ianitor:atq;
Clamat io famuli bellaria ferte:tulerunt:
Vina fatigati sumunt spumantia patres:
Post haustos calices:exclusos atq; ministros
Cunctorũq; patrum post approbo declaratum
Scripta per exuuias ueterum monumenta laboræ
Gymnasii lætus rapuit sua munera præco
Militiæ factura fidẽ subit altera uestis:
Deinde uocat proceres:primi Galeatius intrant:
Et Franciscus ubi se composuere tapetis:
Qui gerit officium pro sede uacante sacerdos

Doctor & ipse patres affatur:uidimus:inquit:
Quanta fuit uirtus Theodori:satq; superq;
Illius doctrina patet:quid cætera dicam?
Vestra patres omnes p scripta probatis ad unũ.
Talia cõmemorãs ad te sua lumina uertit.
Et quod ait mihi ius est sede uacante:tributum
Do Theodore tibi:feliciter accipe fili:
Iamq; tibi liceat nodos:& uincula iuris
Soluere:fasq; nouos sit legibus addere sensus.
At Theodorus ouans a claro insignia Torto
Promotore suo petiit:pariterq; magistro.
Continuo torrens ita legũ Hieronymus inquit.
Vidistis qualem duro in certamine sese
Præstiterit:nõ ore patres:non pectore cessit:
Non alias alius iuuenis maiora decora
A nobis meruit:nec plus insignia iuris:
His dictis:dat ei clausum:librumq; patentem:
Condita mente gerens aliis ut iura recludat:
Atq; apicẽ capiti imponit:ceu parta coronæ
Præmia uictori:digito circũdedit aurum
Connubii pignus de more quod annulus artũ
Prodit in articulo:per quẽ accepisse fatetur
Doctrinam doctor se sponsam iuris alumnam.
Oscula postremo pacis libauit utrinq;
Cuncta opera illius benedicens ore:manuq;:
Vt sine labe sophos colat omni tẽpore legum:

Scinditur interea læto clangore tubarum:
Et comitũ plausu:& uulgi clamoribus aer.
Surgimus extemplo: sacrasq; relinquimus aras.
Clara sequebatur:præclaraq; pompa præibat.
At tu cum dominis insertus utriq; duobus
Victori similem te uultu frater agebas.
Est in ticina domus haud ignobilis urbe:
Mustiolæ templo uicina uetusta uetusto:
Hanc altæ turres dextra læuaq; tuentur.
Hospita quando tibi fuit ultima frater:eandem
Turpe tibi uisum est tanto fraudare triumpho:
Hic tibi mille datæ dextræ:simul oscula mille:
Omnibus ora dabas: nulli tua dextra negata est.
Iamq; cohors omnis:iã pompa recesserat omnis:
Ad cenã ducit nos intro Hieronymus hospes:
Accumbẽs epulis pater abstinet:inq; tuendo
Te modo ridentis:modo flentis sumere uultum.
Quid mea:quid patrui referã tibi gaudia nostri?
Esse uidebantur omnes Theodore beati.
Dicta sed a domino sacrataq; solis honori
Postera lux agit:ut de se maiora canamus:
Sole recens orto loti uix ora manusq;
Ante fores iterũ glomeratũ astare uidemus
Vulgus:& ingentẽ procerũq; patrũq; cateruam:
Paulatim accedunt alii:mora parua frequentes
Atria non capiunt homines nec deniq; uici:

Interea dant signa tubæ increpitantia nostras
Dum colimur germane moras: clangore tubarũ
Protinus audito tyrio uestitus amictu:
Serica uestis erat:contextaq; diplois auro:
Egrederis fulgens hilari pulcherrimus ore:
Qualis ad alta recens ibat capitolia consul.
Tempus adest:properate patres:clamat ab omni
Ordine:iamq; sacram templi maioris in ædem
Conuenisse refert totam prope nuncius urbem:
Nostrorumq; ducũ sobolem decora alta parẽtũ:
Quæ Mediolani peperit matrona salutem
Mayna nuru regis cum nepte Neapolis Agnes:
Agnes anguigeræ mater clarissima Blancæ:
Per quam latonæ natam non inuidet almam
Formosis aderat centum stipata puellis
Omnes Hippolitæ forma præstante premebat.
At tu quæ noster minuisti Blanca paratum
Et te uisuram spectacula nostra putabas:
Me miserum ægra iaces æterna sospite uita
Dignior:heu nostro inuidit fortuna triumpho.
Ecce iterum sacras properare monemur ad aras:
Imus:& huc postq̃ peruentũ est:agmina uulgi
Circunfusa ruunt rerum studiosa nouarum:
Pulcher & altus equo stabat Galeacius acri
Pro foribus templi cũ fratribus ordine pulchro:
Qui procul ut sensit monitus clangore tubarũ

Aduentare patres:& te prospexit in illlis
Sublatis ab equo mox fratribus:aureus ille
Te pedes excepit puer inclytus ore sereno:
Et lateri latus admouit:dextrũq; sinistro
Pone simul ueniunt cælestia pignora fratres.
Ingredimur templũ:solio se prima superbo
Regales inter natas matrona locarat:
At tu per mediũ septem spectabilis inter
Cũ genitore patres caput omnes pellibus albis:
(Hic achademiæ mos est) incedis opertos.
Ascendere patres:genitor:fraterq; tribunal
Regulus & fratres loca nobiliora tenebant:
Conticuere tubæ:tenuitq; silentia uulgus.
Conscendit medio quæ stabãt pulpita templo
Maximus orator magnusq; poeta Philelfus:
Et meditabundus sic incipit ore diserto.
Esse patres æquum concedendumq; putabam
Vt qui iuncta decem lustris duo lustra peregi:
Bissenoq; duos qui lustro iunximus annos:
Nunc uetus attrita cessarem miles ab arte
Muneribusq; diu tantæq; laboribus artis
Debuit orandi defuncta quiescere uirtus:
Hic ualidæ ætatis labor est: hoc omne iuuẽtæ ẽ
Feruidioris opus:nec enim facundia multum
Proderit oranti:multũ neq; proderit usus:
Et doctrina parũ:nisi sit comes omnibus istis

Mobilis argutæ uocis sonus:ille sit acer:
Et modo sit lenis:modo sit iucundus oportet:
Vnde meæ:cum sit iuuenum labor iste: senectæ
Non fuerat dandus:sunt instrumenta sonoræ
Vocis adempta seni:iuueni quæcunq; fuerunt:
Cumq; necesse mihi Theodori dicere laudes:
Sitq; simul uitam:nobis ignoscite patres:
Deterius siquid uestras prodibit ad aures:
Et ueniam flori date pridem ætatis adempto:
Hoc omne est oneris potiusq̃ quicquid honoris:
Admisisse patres me non adiisse putetis:
Me Theodorus enim didicit permulta magistro.
Vt pote socraticos monitus:Ciceronis & artem:
Huic ergo modo deesse nefas immane putaui
Hoc tam felici præsertim tempore:quo se
Ornandum a uobis geminis insignibus audit:
Præmiaq; expectat studiorum tanta suorum:
Ne minus absurdum genitori deesse fuisset:
Eximio de meq; uiro bene multa merenti.
Sed quia pontificum:legumq; a laude profecta ẽ:
Quã meruit laudẽ noster Theodorus oportet.
Altius ut repetam gemini primordia iuris:
Dissentire patres uideo multumq; uagari
Erranti pede qui de iuris origine quærunt.
Gens hebræa suo quem legis quærimus ortum:
Dat Mosi:cum qua certare uidentur Athenæ:

Dando repertarum cecropi præconia legum:
Terra phoroneum uult hunc argiua fuisse:
Vnde foro nomen magis arbitror esse:proboq;
Quam q eo lites:& iurgia sæua ferantur.
Cræta suos Rhadamãtũ æquos: Minoaq; reges
Asserit auctores:ægiptus nigra repugnat:
Mercuriumq; satum Nilo Rex unde creatus
Lemnius:affirmat ius inuenisse priorem
Persa Zoroastem:lacedemonis ora lycurgum:
Vnamquanq; suos iuuat urbem extollere ciues:
Vt perhibent alii legum dedit Aeacus ortus.
Aquo magna nepos cognomia sumpsit Achilles.
Sunt & qui cererem legis mortalibus usum
Inuenisse putant:primamq; fuisse tuentur:
Ast alii magnum legis dixere parentem:
Prisca uetustatis renouantem edicta solonem:
Hic primum antiqui leges:& iura Draconis
Sustulit euertens penitus:primusq; renatis
Legibus illustres parere coegit Athenas:
Inque decem leges cælatas axibus:axes
Nuncupat:hinc prima est romani iuris origo:
Quippe Quirinales Romana potentia leges:
Quasque patres alii dederãt aboleuerat omnis
Apta nec imperio populoque nec ulla regendo:
Iura fuere:patres misere Solonis Athenas:
Qui denas peterẽt tabulas:quibus inde relatis

Paruit adiunctis orbis Regina duabus:
Martia Roma tulit leges:didicitq; per illas
Iusticiam rectũq; sequi:cum sedulus ergo
Iusticiam arderet primis Theodorus ab annis
Hanc quoq; per leges & per sacra iura parari
Cerneret:has animo complectitur:hæret i illis:
Se negat eloquio:nostraq; recedit ab arte:
Mirifice tamen his paribus prestabat ephoebis.
Hunc genitor legũ Platus arca Georgius urget:
Atq; suum genus a diuo uenisse Platone:
Vnde Plati dicti:puer antiquissima norat
Naturæ occultas licet hinc agnoscere uires:
Vtq; patrũ ad seros uirtus:& auita nepotes
Sæpe uenit: magno fuerant tres nãq; Platoni
Magnanimi heroes materno sanguine iuncti
Nileus:& Dropides:& quẽ uenerantur Athenæ
A quo rostra decẽ tabulas romana tulerunt.
Huius ut est animo leges ardente secutus
Diuinas Theodorus opes:ita frater utrumq;
Nilea ductorem pariter Dropideq; poetam:
Scimus enim Dropidẽ faciles habuisse camænas
Atque locũ uates inter meruisse pelasgos:
Dulcibus hũc modulis :illum fulgentibus armis
Clarus utroque puer sectatur honore Platinus.
Ergo tam claris maioribus ortus anhellat
Egregiũ Theodorus opus perdiscere leges

Illi præterea est genitoris in ilia calcar
Vita decusq; sui:uidet hunc florere coliq;
In patria nulli consulto iure secundum:
Atq; duci nostro carũ quẽ consulit ipse.
Deserit antiquã patriam:carosq; penates:
Ticinũq; petit ducente cupidine legum.
Huc ubi peruenit non ocia blanda labori
Prætulit ullagraui:non ut uaga sæpe iuuentus
Et lasciua solet:se luxu polluit ullo.
Scimus ut ostendat permissa licentia molles:
Scimus & ut petulãs nimis hac & abusa iuuẽtus
Langueat amissis penitus rationis habenis.
At non his similis:tantiq; nec ipse laboris
Impatiens Theodorus erat:nec inutilis unq̃
Vlla dies illi nec inutilis hora cucurrit:
Præclaros quin ipse patres festinus adiret:
Quin legeret:mandans animo quin lecta teneret:
Assiduosq; sibi socios elegerat illos
Quos norat doctos:Cupidos aut esse doceri
Quando quidem scierat iuuenes debere togatos
Atq; bonos fugere ignauiæ commercia gentis.
Ergo uirtutis Theodori magna futuræ
Spes oritur:nec enim iã tertia fugerat æstas
Soluere cũ cœpit repetens ænigmata iuris:
Idq; in concilio iuuenũq; patrũq; frequenti
Semper & ex illo magnum referebat honorem

Et qui deesse solent aliis uigilantibus anni
In perdiscendo|ciuili Iure:fuerunt
Huic ad utrũq; satis : gemino Theodore triũpho
Aurataq; domum decorate reuertere zona.
Ingenii fateor facilem tibi præbuit usum
Vis fati:aut fato natura potentior omni:
Crede tamen uigiles adeo conferre lucernas.
Non te tristis hyems non arida terruit æstas
Discendi studio durisq; laboribus ullæ
Deliciæ molles nõ præualuere:nec unq̃
Q uod magis est ipsi uenus imperiosa iuuentæ
Incœptũ diuertit opus:nõ in tua repsit
Pectora:totus eras in libris:plurima totus
Facundo mandans calamo:modo totus in:acri
Atq; in præclara iuuenũ certante corona.
Iure cathedrales igitur Theodorus honores
Ante quater quã terra nouis reuiresceret hærbis
Egregie tulit & gessit:solet esse probatæ
Hic honor aurataeq; togæ:quid longius æquo
Prouehor:hortatur suadetq; breuissima tempus.
Ergo audite patres animisq; fauentibus omnes
Alterius quæ sit diuini iuris origo
Q ui prior ante numam ius pontificale latinis.
Gentibus ediderit nullus mihi cernitur auctor
Difficiles facilesq; deos rudis illa uetustas
Solenni cultu miroq; colebat honore

Vt prodesse boni uellent:nec obesse maligni.
Vana superstitio tũc credula pectora primum
Mouit:& ad uarios cultus genus omne coegit.
At postq̃|uiduata suo Romana Q uirino
Deuenere Numæ capitolia rite sabino
Edidit hic ingens tanti Numa muneris auctor
Primus|apud populum ius pontificale ferocem:
Nec nisi per uarias poterat rex callidus artes
Pectora turbati lenire ferocia uulgi.
Saltibus ille deos:leuibusq; irata choreis
Numina placari populo suadebat inerti:
Cuncta tamen cecidere deo de uirgine nato:
Iusq; nouũ colimus quæ decretalia dicunt.
Præstat in hoc igitur tantũ Theodorus: ut illum
Consensu geminis decorandum insignibus uno
Vestra patres censura uelit:cape præmia tandem
Hoc animo cape magna tui Theodore laboris:
Vt non degeneres a claro patre:nihilq;
Maiorum uirtutis agas oblite tuorum.
Ante tuos oculos generis certissimus auctor
Stet Plato:stetq; Solon.pariter repetatur auorum
Felices umbræ:seriemq; reuolue tuorum
Insignes armis olim belloq; potentes:
Pontificesq; uidebis auos sceptrisq; potitos:
Et simul auratos equites:sed ut omnia mittam
Sæpe tibi prisco splendore recentior omni

Maternus repetatur auus Clarissimus ille
Mapheus Muzanus apud notissimus omnes:
Duxit ad Anguigerũ qui te Francisce Philippũ.
Sfortia dux noster seruirent appula quamuis
Plana tibi:patriisq; licet tibi cedere terris
Triste foret:tamen hic alter facundus ulysses
Te dulcis terras populosq; relinquere fidos
Centũ oratores quod non potuere coegit
Principiũ ducis illius:nostræque salutis
Diuus eum tali merito tantoque Philippus
Protinus arcano conscripsit in ordine patrum.
Sed nunc quid memorẽ quanta uirtute putemus
Te fore:uel quantũ de te spes omnibus addat
Leticiæ:labor est tuus ergo incumbere totis
Viribus & neruis tenues ne prorsus in auras
Hæc eat:& de te caueas frustrentur amici.
Aurea ꝑsonuit tuba tẽplũ huc usque Philelphi:

Plurima post illũ memoratu digna supersunt.
Reddidit iste mihi frater pro melle uenenum
Viuens:& moriens:ego non incœpta peregi.
Debuit hoc ipso carmen cum fratre perire.
Nescio cur extet tibi lector amice dicatum.

F I N I S

Platinus ad lectorem.

Non ut appellæam uenerẽ:mediáq; figuram
Linquere me lector perficienda putes.
Cuius in hoc actum celebrassem carmine totum:
Dum canerem:tantum polluit ille decus:
In noua mutatas:ut uidit crimina laudes:
Semilaboratum musa reliquit opus.
Tu ne sperne tamen:primarũ exordia legum:
Et res intactas iste libellus habet.

Platinus Alexandro.Minutiano.S.

Da:quod Alexander nostro doctissime libro
Scis te pollicitum:fœderibusq; mane.
In manibus mea fama tuis est tota profecto:
Sed mea non agitur laus sine laude tua.
Noster item facito ferat hoc epigramma libellus
Digne uir in nostro carmine sæpe legi.

Alexander Minutianus Platino suo.S.

Vt tandem quid de tuis sentiam libellis:egoquoq; dicam Platine poeta candidissime:Visi sunt mihi nudi quidem:simplices:& uenusti: & quãuis nullo orationis fuco expoliti:genus tamen habent dicendi elegans:splendidum : magnificũ: ac generosum:atq; ut paucis absoluã: cum ipsa uideris antiquitate certare:adeo in illis omnia acuta:apta : & expressa cernuntur.Id quod eo magis mirum omnibus uideri debet : quod ab ipsa pueritia bellicis studiis intentus : ac militaribus muneribus districtus:cum iis facile comparari possis:qui omne tẽpus in poetica consumpserunt . Vnde fit ut maxime gratulandum censeam omnibus quos tam absolutis carminibus celebrari contigit:Et ĩ primis Triuultio Heroi inter omnes uirtutitibus bellicis Illustres uiros connumerando : in cuius laudes post duorum maximorum Regum adoratã maiestatem: & Rhotomagensis Domini:Cardinalis Illustrissimi ueneratam sanctitatem subinde tam sublimiter assurgis:ut optime secum actum existimet:ꝙ temporibus etiam tuis tam clara:tamq; ingentia fecerit facinora.Gratulor præterea tibi diuine uates:ꝙ iam de tui Achillis liberalitate certissimam spem concipias fore ut tãdem isti tuæ fidei premia respondeant.Verũ quia in studio:& diligentia nostra multum posuisti: ut quã emendatissimi in manus doctorum uirorũ ueniant : illos iã impressos accuratius recognouimus: ut si quid illorum incuria qui huic imprimendi artificio sunt prepositi:corrupisset:ea correcta & castigata annotarem. Quare errata dũtaxat : quæ aut sensum deprauant :aut metri rationem uiciant annotare placuit .Cætera quæ aut ex præpostera litterarum positione:aut ex neglecta scribẽdi norma:quæ uel diligentissimus censor in tanta artificum ignorantia præstare non potest:mendam aliquam uidebũtur habere:cum citra auctoris famæ iacturã commissa sint : eaq; lector ipse per se corrigere possit : ommisimus.Vale.

A

Termophilas: scribe tu Termopylas

In Epigramate Differo ubi Triulcius: tu Triuultius.

Vbi grates ego: tu lege ago

B

Grationopolis repone: ubi gratonopolis: & ibidẽ ubi lene: lege leue

Vbi prodamq; sperẽq;: priorem amoue copulam

Et ubi Impleuerat: tu lege Impulerat.

C

Vbi pares coniunctim: distingue par es

Parca manuq;: Parca manus

Vbi opto: Tu octo

Boetæ: Tu Bootæ.

D

Accipe Iure: Tu rure

Atq; ibidem repone Cunneæ: ubi Cuneæ

Et in eodem Epi: ubi sæui: Tu seuit

Ad Balsamũ ubi quod sibi: Tu tibi.

Et in eodem sunt tibi: ubi sibi.

Rebus fido nil inde: Tu uel inde.

E

Lazare que uirtus: Tu lazare quem:

Vbi uberere. Corrige tu ubere:

Et ubi helebro. repurga helleboro.

Quum oculis: Tu quin oculis

Preturã mediolanẽsem functum: Tu ꝓtura mediolanẽsi

Regulus his: Tu hic

Vbi ducibus: Tu dulcibus

Et ubi & quis: Tu ecquis?

F

Faueat lege pro foueat.

Gratulor: Tu gratuler:

Prestantes: ubi prestantis.

Ac in luce dei genitricis & immemor almæ

Vbi scriptũ est genitricis immemor almæ.

Liberiore loqui: Tu liberiora

G

Vidimus hispaniæ: Tu lege hispanæ:

Anti machasolas: Tu ante:

Ad Iacobum Crortã: Tu Crottũ:

Vbi o merita: Tu lege obmerita:

Et pro Ermitricteus: Tu Hemitriteus.

Fasiacam iungit: Tu lege iunxit:

Et ubi scriptũ est Iura: repone Iuro

H

Vbi scriptũ est nouis: repone nonis:

Et negat lege ubi negant:

Et moritura: ubi moitura:

Masellum: ubi massellum:

Da lacrimas grato: Tu grata:

Piusq̄: Tu lege plusq̄:

I

Vbi Iure decet: Tu Iura:
Et ibidem fama: ubi ama:
Ad Antonium Pellotū: non pellotam:
Acerbe lege pro acerbi:
Et ubi plene: repone pleno:
Et ubi probabilis: Tu reprobabilis:
Et ubi caim Tu cain:
Videre o si te: Tu uiderit:
Abluit: ubi Tbluit
Et ubi hic: Tu lege his
Et moneas: ubi moueas
Anima: Tu Carmina:
Redentia: Tu redolentia.

K

Est ergo: Tu ægro:
Angelice: Tu angelico:
Vbi uiger: Tu ager:
Atq; istuc repone ubi istud:
Vbi decime: Tu Deciane:

L

Dirses: Tu differs:
Ne scio: Coniūge tu & lege nescio.
Quem tot: Tu quæ tot:
Temno: ubi cerno:

Vbi Vocas: Tu Vacas.
Ad Federicum ursini: Tu urbini

M

Nescio ui: Tu nescio cur:
Mouere sororē: Tu sororum:

N

Atua: tu corrige attica
Prohibetur: tu perhibetur:
Vbi summus: tu sumus:
Da perfidia: tu de perfidia:
Noli tot: tu nolo tot

O

Summa uetustas: tu potestas:
Pontificiq; summo: tu pontifici summo.
Ignauis: Ignarus:
In opusculo Academie Papiensis
Angelus auditor ducis: lege sine distinctione:
Et nemo: & tremo.
Esse uidebantur: tu esse uidebamur:
Agit: tu agitur.
Noster: tu nostrum:
Deprauatā orthographiā i his dictiōibus sic emē da. Tyrānus. præbēt. presbyter. Relligio. Baptista quicūq; ita ut n. se m p p̄cedat. q. Thesaurus Hyblæū. Mœreo. Commodū. Barathrū. færale. Cepi a Capio. Physicus. Pascha. Edo. Perennis.

Habes lector in hoc uolumine hæc Platini lepidissima opuscula.

Librum unum de Epigrāmatis

Federici Vrbinatis laudes:& gesta compendio decantata.

Veneti Senatus honorificētissimus apparatus:cū Herculem ferrariæ Ducem post initam cū illo pacem in urbe excepit.

Ritus Papiensis gymnasii in decorandis iis qui in litteraria palestra se strenue gerunt.

Platini plati patricii Mediolanensis ad Clarissimū uirum Io.Franciscum Balsamum iurisconsultum primiq; pretoris Insubrium uicarium benemeritum operi suo Corollarium.

Te Gambolati memini mihi dicere pridem:
Esse tibi gratum:quod mihi dulce fuit:
In libro te stare meo Francisce:Sed obstat
Pagina carminibus nulla relicta meis:
Tu per Alexandrum mea uir clarissime cures
Scripta tibi:scriptis adiicienda meis:

Ad eundem.

Nulla dies adeo mihi tam bona contigit unq̄
Balsame:q̄ tecum lux hodierna fuit:
Cognomen res ipsa tuis uirtutibus aptum
Ostendit:mirum mentis acumen habes:
Natura ut speciem tribuit tibi principe dignam
Sic studium mores:eloquiumq; dedit:
Deniq; rara magis non sunt opobalsama:q̄ tu
Qui iuris gemini lux Helicona bibis.

Ad eundem

Mitto quod asparagos tibi:forsitan esse uidebor
Rusticus:Ambrosia Balsame dignus eras.

Ad Alexandrum Minutianum
de eodē Io.Fran.Balsamo.

Dira lues:& in hoc instans mihi plurima tractu
Fecit Alexander me dare uerba tibi;

Teq; subire nouum ni respuis ipse laborem:
Increpui solitam pestis in igne lyram.
Vult operi nostro Francischus Balsamus addi.
Ornemus musæ: Iusticiæq; patrem.

De sua & sotiorũ salute Soteria.

Seruauit Medicum: Vatem Iurisq; peritum:
Et comites: Alma cum genitrice deus:
Vnde Parasacum manet huius fama benigni
Perpetua hospitii: noster amorq; suos.

Super ostium casę in qua hospitati sunt Augustinus Balbus physicus: & Io. Iacobus Bernerius Iurisperitus cum ipso Platino poeta.

Hospitium Medico: Vati: Iurisq; perito
Prębuit infectis ista salubre teges.

Ad Matthęum Stratã Iuriscousul.

Accipe seu uicti signum: seu pignus amici:
Sex ego ludiluens persica mitto tibi.
Scæuola quod fuerat: mihi tu Matthęe uideris
Iurisconsultus: lusor & esse bonus.

De Gaspare Strata liberalissimo.

Virtutem si uis effingere rite datricem:
Pinge domi stratę Gasparis ora mei.

Ad eundem Gasparem Stratam.

Quam mihi donauit uolucrem generosus amicus
Gaspar amicorum largior alpha tibi.

Ad presbyterum Antoniũ brumanum Rectorem Aedis Garlaschinæ.

Multa Parasachi mediocria fecimus olim
Prandia: cum cœnis ipse neposq; tuus:
Nunc apud insubres ad amicos ibimus ambo
Rector: ubi nobis optima quæq; fluent.

De presbytero Io: Lunato mortuo:

Si tibi tanta domi doctrinę cura fuisset:
Quanta foris inerat nocte dieq; cibi:
Si nos audisses: esses Lunate Sacerdos
Viuus adhuc: culpa mortue peste tua.

Ad Antoniũ Canem Viceprętorẽ Garlaschi.

Virtutes inter reliquas tribuisse uidetur
Aeneæ Vates hoc pietatis opus:
Vna cum sotiis q; amici corpus humauit.
Fecisti Antoni tu quoq; nuper idem.

De sollicitudine sua Pont. creandi.

Cur de pontificis dicam nouitate laborem:
Tempora Pontificem non habuere suum.

De Pio tertio pont. Max.

Nunc ego securus sum de pastore creato.
Pontificem agnosco nomine req; Pium.

De Papa Iulio Secundo

Nomen Iuleum rediit tibi Roma secundum:
Pontifice in summo Iulius alter adest.

De eodem & Baptista Fulgoso

Quam bene Pontifici quadrat cũ Cęsare nomen
Iulius: & pręsul maximus ille fuit:
Perpetuusq; suos fouit dictator amicos.
Est in Fulgosum talis & iste suum:

Ad Augustinũ Balbũ physicum.

O Medice insignis per rura domosq; uagantem
Caram illam fellem cepimus: ecce tibi
Terra Parasachi tibi se: pariterq; malorum
Commendant socii se duo Balbe tui.

Ad Garlascum peste liberatũ.

Ad te Garlascum iam quarto mense reuertor
Multo q̃ cessi lętior: omne Vales.

De morte Anastasii Iuriscon sulti fratris optimi.

Amisi diuersa duos p tempora fratres:
Iurisconsultus clarus uterq; fuit.
Sed maior natu Theodorus me sine causa
Perdidit: alterius sum releuatus ope.
Maiorem nunq̃ fleui: nec flebo: sed ipse
Noster Anastasius flebitur usq; mihi.

De Bernardino Corio hystoriographo.

De Corio sum sæpe meo pręclara locutus:
Quæ nunc in libro sunt repetenda meo.
Condidit annales Insubres omnibus aptos:
Sermone ethrusco nobile fecit opus.
Debet ei lector mirans illustria: debet
Illustratori patria nostra suo.

Alloquitur Platinum uictoria.

Adsum læta tuis uolitans uictoria Gallis:
Non es mentitus crede Platine mihi.

Platinus ad lectorem.

Qui legis in nostro tot deprauata libello:
Ne me: & Alexandrum sic uoluisse putes.
Est opifex operi nostro qui plurima fecit
Vulnera corrumpens res idiota bonas.
Deniq; si lector me uis errasse ualebis:
Ingenii certe nil reor esse tibi.

Quę fugerant in priore castigatione hic deprehensa teneto lector candidissime; & boni consulito

A

Vbi Pallade: lege tu Pallada.

F

Vbi cancri: tu cancris:
Vbi subiuis: tu sis ubi uis

I

Vbi carauana: tu cacarana

K

Vbi Bermigdíis: tu Bergundius

M

Vbi nihil: tu mihi

N

Vbi ſauenſem: tu ſanenſem
Vbi cui lege tu cur
Vbi fului lege tu furui
Vbi fraterna lege fraterno

O

Vbi artum: tu actum
Vbi noſter minuiſti tu noſtrum iuuiſti.

P

Vbi honorificentiſſimus apparatus tu honorificen-tiſſimos.
Vbi Ter uir lege te uir
Vbi quiſquis armat: lege tu amat
Vbi ignaue tu ignauię

Corruptam quoqꝫ in his dictiõibus orthographiam ſic corrige.

Vbi queſtu tu ſcribe queſtu a quæro
Vbi queſtus tu queſtus a queror
Vbi præcioſa tu ſcribe precioſa
Vbi ager tu agger ideſt uallum
Vbi Moeneciades tu Meneciades
Vbi quamuis tu quanuis

Vbi eſtans tu extans:
Vbi ora tu hora:
Vbi corruſcabant tu coruſcabant
Vbi appelææam tu apellææam.
Vbi ommiſimus tu omiſimus.

Mediolani apud Alexandrum pridie Kalen-das Septembres anno a chriſtiano natali. MDII. Ludouico Francorum Rege Potentiſſimo Mediola-nẽſium Duce.

